

# Marci Maruli Davidias

versio electronica

Neven Jovanović praeparavit

[neven.jovanovic@ffzg.hr](mailto:neven.jovanovic@ffzg.hr)

Iuxta editionem Marko Marulić, *Davidijada*, Split: Književni krug,  
1984.

(Veljko Gortan recognovit).

[2005-05-11]

---

## Tabula contentorum

### <Dedicatio>

SANCTISSIMO CARDINALI, EPISCOPO PORTVENSIS  
PATRIARCHAEQVE AQVILEGIENSIS DOMINICO GRIMANO M.  
MARVLVS IN DOMINO SALVTEM

### <Liber I>

ARGVMENTVM

### <Liber II>

ARGVMENTVM

Lib. II

### <Liber III>

ARGVMENTVM

Lib. III

### <Liber IV>

ARGVMENTVM

Lib. IIII

### <Liber V>

ARGVMENTVM

Lib. V

### <Liber VI>

ARGVMENTVM

Lib. VI

### <Liber VII>

ARGVMENTVM

Lib. VII

<**Liber VIII**>  
ARGVMENTVM  
Lib. VIII

<**Liber VIII**>  
ARGVMENTVM  
Lib. VIII

<**Liber X**>  
ARGVMENTVM  
Lib. X

<**Liber XI**>  
ARGVMENTVM  
Lib. XI

<**Liber XII**>  
ARGVMENTVM  
Lib. XII

<**Liber XIII**>  
ARGVMENTVM  
Lib. XIII

<**Liber XIII**>  
ARGVMENTVM

FINIS

<**Dedicatio**>

**SANCTISSIMO CARDINALI, EPISCOPO  
PORTVENSI PATRIARCHAEQVE  
AQVILEGIENSI DOMINICO GRIMANO M.  
MARVLVS IN DOMINO SALVTEM**

Quum te, sanctissime Grimane Cardinalis, et omnibus ingenuis disciplinis egregie institutum audiam et officii dignitate generisque claritate imprimis eminere sciam, me tibi deditissimum esse tuique studiosissimum nulla alia re commodius aptiusque testari potui quam ut litterarii operis aliquid ederem tuoque nomini dedicarem. Aggressus sum itaque rem plane uiribus meis imparem, sed non a uirtutibus tuis alienam: Dauidis regis gesta uersibus expressi historiam secutus, quam in sacris proditam codicibus ueram esse non ambigo. Eam poeticis numeris Pierioque lepore exornare conatus sum, quo tibi tua grauitate

dignius, tuae sanctitati delectabilius munusculum offerre possem. Caeterum ad hoc perficiendum multa mihi impedimento erant: iampridem intermissa condendi carminis cura, Hebraicorum nominum Latinae linguae inusitata relatio, locorum quoque a nullo prorsus geographorum nostrorum satis explanata uocabula. Has tamen omnes difficultates meus erga sanctitatem tuam amor peruicit. Ille quod intermiseram reuocauit, ille etiam nomina, quae plerumque (ut nosti) absque ulla casuum declinatione in libris diuinis proferuntur, declinare me compulit, ut sermonis nostri sensus apertior fieret, ille denique locorum situs, quos plene diserteque exponere non poteram, diuinare me fecit. Appendicem etiam operi adiunxi soluta utens oratione, singulorum uoluminum argumenta. Deinde historiae ueteris contextum ostendi nouae esse figuram. Quod opus si sanctitati tuae placuerit, facile criticorum ronchos inuidorumque subsannationes contemnemus, uel potius in illas incidere minime uerebimur, quando quidem tanta est tua unius apud omnes autoritas, ut quicquid abs te probatum noscitur, id ipsum uel arroganter improbare uel palam carpere audeat nemo. Sed dicet aliquis: Ut quid *γλα κας θ νας*, ut quid ligna in siluam portas? Quare huic, qui scientiarum omnium ornamentis affluit atque abundat, litterarium munus mittis? Cui ego ingenue respondebo: Talem uirum, tam eruditum, tam sanctum, tam in omni laudis genere celebrem nullo alio munere iustius conuenientiusque colere poteram quam hoc uno, quo ipsum plurimum delectari arbitratus sum, eo uidelicet, quod nostram religionem sapiat, quod Christum sonet, quod odorem illum, quo animae fideles reficiuntur, fragret. Ad haec non me fugiebat eam esse litteratorum naturam, ut quauis ipsi in omni liberali doctrina politissimi excultissimique sint, minus etiam eruditorum opuscula interdum non inuiti legant. Nos itaque non ista mittimus, ut doctiorem instruamus, ne prouerbio locus detur: Sus Mineruam, sed ut doctissimum honore, quo possumus, prosequamur. Abundabat et Dauid noster, quum iam regnum accepisset, diuitiarum copia, nec tamen dedignatus est a Siba seruo modici admodum precii munuscula accipere. Ita spero te quoque, sanctissime Cardinalis uirque doctissime, pro tua in omnes humanitate in nostro opere suscipiendo facturum. Quod quum feceris, non accipies beneficium, sed dabis. Exiguum est enim quod tibi mittimus, multum autem quod abs te poscimus: ut tantum digneris quod mittitur accipere meque in clientulorum tuorum numero habere. Vale!

## <Liber I>

### ARGVMENTVM

Regum lib. I, cap. XIII. Samuel propheta arguit Saulem regem inobedientiae in deum et regnum de familia eius transferendum

praedicit. XV. Iterum denunciatur eum de regno eiiciendum, quia iussus interficere Amalechitas regi eorum Agago pepercerit. Quem coram adductum Samuel ipse in frusta concidit. XVI. Samuel ungit Dauidem regem futurum. Saul agitatus immundo spiritu Dauide cytharam pulsante refocillatur. Dauid fit armiger Saulis. XVII. Goliath interimit. Palestini fugiunt.

Dauidis memorare pii gesta inclyta regis  
Instituto. Quis nunc dignas in carmina uires  
Suppeditet? Non Cyrrhae de uertice rupis  
Descendens lauroque caput praecinctus Apollo,  
5 Non Nysae numen, furiata mente Lyaeus,  
Pieridumque chorus. Nam non ego dicere Troiae  
Excidium Thebasue paro nec sparsa cruore  
Thessala Romano bellis ciuilibus arua,  
Sed caelo cognatum opus arcanisque sacratum  
10 Mysteriis. Quorum qui solus crederis autor,  
Solutus, magne deus, mihi iam cantanda ministres.  
Iudei Gens quondam Iudea potens opibusque uirisque,  
Orbe sub Eoo residens, non inscia uerae  
Religionis erat; ritus moremque sacrorum  
15 Edidicit monstrante deo, referentibus ipsis  
E caelo afflatis certissima quaeque prophetis.  
Hinc unum celebrare deum, uirtute creata  
Cuius cuncta forent, coepit, terramque polumque  
Qui regat et sensus cunctis uitamque ministret.  
20 Quos uero gentes aliae populique colebant,  
Hos non esse deos, sed prorsus demones ipsos,  
Quorum homines capti iam pridem fraudibus errant  
Vix numeranda suis uenerantes numina uotis.  
Ergo Iudaicae primus moderamina gentis  
25 Saul rex Ciso natus Saul et regni sceptrum tenebat,  
Non recto officio nixus nec legibus aequis,  
Samuel propheta Quum Samuel uates dictis mordacibus illum  
Aggrediens et facta deo non grata reuoluens  
Haec responsa dedit: "Quoniam tibi certa Tonantis  
30 Iussa sequi nulli fuerit post talia curae,  
Isto te indignum, quo te dignatus honore est,  
Censuit atque alium, regni cui tradat habenas,  
Iam sibi prospexit successoremque regendo  
Constituit populo, notum pietate fideque,  
35 nota Quanquam humili de plebe uirum. Sed sanguinis omnes  
Exuperat tenebras cum laudum lumine uirtus.  
Haec effatus abit moestum tristemque relinquens  
Iam Saulem et multa perculsum pectora cura.  
At quia continuo tali pro crimine poena

40 Non inflicta fuit, iussus rex perdere gentem  
Amalechitarum, rursus mandata reliquit,  
Rursus iussa dei temnens seruauit Agagum,  
Victor commisso captum certamine regem,  
Illius armentis etiam pecorique pepercit.  
45 Ergo dei immemorem res effecere secundae.  
Sed frustra excusat facinus damnante propheta,  
Saul "Ignouisse uiro pietas me compulit," inquit  
"Illaesas autem pecudes dimittere suasit  
Religio, ut sacras stet plurima uictima ad aras." —  
50 Samuel "Falleris" exclamat Samuel "uanoque fauore  
Facta iniusta tegis, quoniam non gratior ulla est  
Caelicolum regi, sacris quae imponitur aris,  
Hostia quam semper studio curaque fideli  
Imperio parere suo. Quod spernere quum sis  
55 Ausus, et ipse tuum de regno tollere nomen  
Ac Benjaminam sobolem postponere Iudae  
Decreuit, Iudae regem de stirpe creare."  
Haec ait indignans regemque relinquere uerso  
Inde parat tergo. Vetat hoc et abire uolentem  
60 Apprendit Saul apprensaque lacinia uestis  
Implicita est digitis et, dum conamine pannus  
Diuerso trahitur, geminas distentus utrinque  
Laxat se in partes. Subitum scissura fragorem  
Increpuit causamque dedit magis apta loquendi  
65 Samuel Fatidico uati: "Sic, sic" ait "ipse deum rex,  
Quem dederat quondam, sceptri tibi scindet honorem,  
Impositusque tuo solio dominabitur alter  
Te melior multaque super uirtute ferendus."  
Rex metuens commissa palam trepidusque fatetur  
70 Submissoque genu diuinum numen adorat  
Ignoscique sibi poscit ueniamque precatur.  
Captiuum interea produci mandat Agagum  
Agagus rex interficitur Coram se Samuel fatisque potentibus actus  
In frustra educto discidit protinus ense.  
75 Corruit in terram fuso miseranda cruore  
Victima deque suo disectis corpore membris  
Ablataque uiri forma deforme cadauer.  
Galgala Galgala tunc Saulem multa cum plebe tenebat,  
Vrbs geminis uicina iugis, hac parte Gebalum,  
80 Illa prospiciens uiridantem fronde Garizim.  
Illic caede pius uates ubi iussa peregit,  
Iussa uerenda dei, Ramatae sua tecta petiuit  
Saulis fata dolens. Sed caelo uenit ab alto  
Ipse deus uerbisque prius quod dixerat, illud  
85 Deus ad Samuelem Re facturus ait: "Samuel fidissime, quid tu  
Profusis Saulem lachrymis gemis, improba cuius

Dextra meum toties prauis despexerit ausis  
Imperium legique meae qui tendere contra  
Nil timuit? Populone pio dominarier illum  
90 Ius tu fasque putas? Quin talem comprime luctum  
Atque haec nostra modo mandata facessere perge  
Iesseus, Daudis pater Est Iesseus, magni genus alto a sanguine Iudae.  
Intra Bethlemos domus ipsi condita muros  
Illa parte manet, quae spectat lampada Solis  
95 Fulgentem, quoties Eoo surgit ab orbe.  
Illo te transfer natorumque agminis unum,  
Quem placuisse mihi nosces, hunc chrismate regem  
Vnge sacro sceptrumque manu da nobile ferre."  
Haec dicente deo Samuel stetit ore trementi  
100 Expauidoque diu. Postquam sibi reddita mens est,  
Aedidit has dubio promptas de pectore uoces:  
Samuel respondet "Magne pater, quid me tam certa pericula uitae  
Attentare iubes? Huius si forte negoti  
Consilium scierit, multam Saul actus in iram  
105 Protinus, heu, tristi claudet mea lumina letho." —  
"At tu" numen ait "uitulam cape 'pergoque', dices,  
'Sacrum ferre deo', hac eludes arte superbum.  
Quum facies vitula, Iesseum ad sacra uocabis  
Ipsum progeniemque omnem. Tunc protinus illum,  
110 Quem tibi monstraro, liquido sacrabis oliuo  
Vtque meo praesit populo plebique, iubebis."  
Tunc demum Samuel pecus atque armenta reuisens  
De grege, quae uisa est magis illi buccula pinguis,  
Hanc tulit et rapido Bethlemi moenia gressu  
115 Accessit celerans Iesseumque ad sacra uocauit  
Cum natis illique simul secreta recludit  
Consilia. Ingentes pro tanto munere Iesseus  
Grates laetus agit superum dominoque deoque  
Et doni autorem procliuo uertice adorat,  
120 Septem aderant iuuenes; proceri corporis unus  
Ante alios Heliab, grato praestabilis ore,  
Recto habitu latisque humeris nigroque capillo.  
Protensam genitor dextram direxit in illum  
Et rogat, ane ipsum maneant insignia regni.  
125 nota Respondit Samuel: "Stellati rector Olympi  
Non habitus hominum pensat formaeue decorem.  
Nanque bonum fragile est, oculos quod pascit inani  
Obtutu uulgique rudis sermone probatur.  
Talis enim species uenientis damna senectae  
130 Sentit et indomitae dispendia proxima mortis.  
Interiora deus rimatur corda sinusque  
Ingressus mentis, mores metitur et actus.  
Non hunc, quem monstras, deus eligit aut probat ullum

Ex istis, quos tu coram consistere cernis.  
135 Nunquid non alius superest tibi filius isto  
Ex numero?" — "Superest", respondit "pascua curae  
Cui sunt et gregibus iunior qui praesit alendis."  
Tunc Samuel "Non ante dapes gustabimus" inquit  
"Quam puer huc ueniens se nobis offerat ultro."  
140 **Dauid** Iussis ille patris parens et pascua linquens  
Accitus properauit iter seque obtulit ultro,  
Insignis forma iuuenis facieque decorus,  
Iocundo aspectu, suffusus et ora rubore  
Atque manu promptus, uiridis tamen apta labori  
145 Aetas et dubio uirtus matura periclo  
Armorum ac belli, grauibus thoracibus artus  
Subdendi gladioque latus clypeoque sinistra  
Conueniens animique uigor super omnia celsus.  
Agnouit uates hunc unum ex agmine tanto  
150 Esse quidem, cui fata dari sublime tribunal  
Israhelitarum regnique insigne iubebant,  
Nec mora, repletum diuino chrismate cornu  
Effudit Dauida super, plaudente corona  
Fratrum. Iocundo genitor magis astitit ore.  
155 Rege salutato Samuel sua tecta petiuit,  
Ad Ramataeque lares passu properante recessit.  
Ex illo adridere deus, dare sydera caelo  
Dextera Dauidi, hunc ipsum seruare periclis,  
Hunc animi donare bonis, hunc robore notum  
160 Corporis et multa locupletem reddere gaza,  
**Saul a spiritu agitatus** At uero Saulem furiis agitabat amaris  
Immanis demon, totos infusus in artus.  
Ille solo stridens prostratus uoluere sese  
Huc, illuc uisus, toruo quoque lumine circum  
165 Terrebat stantes et spumas ore uomebat  
**Comparatio** Dentibus infrendens, rabidus ceu saepe Molossus,  
In turpes quoties dimissus ringitur ursos.  
**nota** Quicumque ergo hominum nimis audax mente procaci  
Despicit aetherii monitus mandataque regis,  
170 Hic procul exclusus populi de sorte fidelis  
Spirituum iuris sese sciat esse malorum  
Nec nisi placato resipiscere posse Tonante.  
Placatus dabit ille feros de pectore motus  
Pellere tranquillamque admittere corde quietem  
175 Et tandem nullas horrescere demonis iras.  
**Saul, Cisi filius** Hunc ubi amicorum pietas miserata laborem  
Cisidae consulta dedit, quo prorsus iniquum  
Seu tollat seu forte leuet medicamine morbum,  
Protinus accitus Solyमारum uenit ad urbem  
180 **Dauid** Iesseides Dauid psallens et nablia palma

Solicitans dulcique aures modulamine mulcens.  
Attulit et regi, dederat quae munera Iesseus  
Ipse pater, non magna quidem, si respicis illa,  
Sin hominem, magnum testantia forsam amorem.

185 *Munera oblata Sauli* Iam Bacchi et Cereris speciebus onustus

Ducitur in medium, simul et pinguissimus haedus,  
Villosae sed adhuc qui paruulus ubera matris  
Lambebat, niueum suctu sorbente liquorem.  
Haec oblata sibi placido Saul omnia uultu

190 Accipiens multas egit pro munere grates,  
Sed pro mente magis facili simul atque benigna  
Et prompto obsequio, optatum quod mittere psalten  
Curarit uotisque suis nihil inde moratus  
Annuerit. Post haec Daudis lenia colla

195 Impubesque genas amplectens oscula libat

*Saul ad Daudem* Atque his affatur uerbis: "Charissime, de te

Multa quidem dudum iuuenesque senesque ferebant,  
Aspectus tamen iste tuus, tua uiuida uirtus,  
Os habitusque simul promittere plura uidentur

200 Quam quae dicta mihi: uicit praesentia famam.

Noster eris nostraeque uiris numeraberis unus  
Militiae, nostrum primus comitabere tergum  
Arma gerens, quoties duri fera praelia Martis  
Miscere et belli tentare pericla libebit.

205 Ast etiam positis quum pax agitabitur armis,  
Pars (mihi crede) aulae fies non infima nostrae.  
Unum oro: cytharae fidibus lenire dolorem  
Tende meum, quum me morbi uis dira maligni  
Inuadens miseros affligere coeperit artus.

210 Nescio enim quae me praessum torpedine multa  
Concutiunt larvae, modico tamen interuallo  
Respirare sinunt lassisque redire quietem  
Permittunt membris. Huic tu succurre labori,  
Si potes. Hoc uno, caessent ut caetera, certe

215 Officio tibi me uinctum memoremque tenebis."

Maiestate uiri iuuenilis territa uirtus

Obstupuit mentemque rubor turbauit et ora.

Haud multum mansere metus; sibi redditus ille

*Daud respondet* Haec demum responsa dedit: "Tua iussa capessam.

220 Quem me cunque uoles fieri, rex inclyte, talis  
Esse uolo, tibi me totum do, dedico totum,  
Insanum sanumque sequar pariterque iuuabo,  
Quicquid deinde meae uires artesque ualebunt.

Seu res uisa lyram fuerit seu poscere ferrum,

225 Praesto adero, nec me segnem timidumue uidebis

Vlla in re quandoque tibi." Post talia dicta

Mens illecta magis Saulis concaepit amoris



In iuuenem stimulos et iam fidentius illi  
Credere se et uultu magis aspirare fauenti.  
230 Ergo illum quoties tristis turbabat Herinis,  
Arrepta toties aderat testudine Daud.  
Leua tenens capulum digitisque micantibus errans,  
Fila suprema lyrae nunc haec, nunc illa premebat,  
Dextera sed medios percurrens pectine neruos  
235 Aedebat multa uariatos arte canores.  
Continuo caessere furor, decaedere toto  
Corpore pestilitas, monstro deformior omni,  
Compellebatur sanumque relinquere regem.  
Tanta erat in sonitu mentem mulcente potestas!  
240 Cessent Dirceos cytharae modulamine muros  
lactare exstructos uatum commenta priorum  
Rupesque et siluas Rhodopeia plectra secutas.  
Haec conficta quidem nemo est, qui nesciat, et si  
Quisquam adeo tota soluit de fronte pudorem,  
245 Facta esse ut dicat, tamen impendisse salutem  
Humanae plus est depulso demone menti  
Tamque feram domuisse soni dulcedine pestem.  
Quis dubitat praestare fidem, quum fingere nobis  
Lex diuina uetet, fecis quum Musa prophanae  
250 Expers porrecto quicquid cratere refundit,  
Hauriat e puris sacraei fluminis undis?  
Reddita mens fuerat Saulo, quum regia tecta  
Dauidis fratres Tres adiere uiri, cognati sanguinis omnes  
Atque uno genitore sati, quo natus et ipse est,  
255 Sed magis felici postremus germine Daud.  
Heliab Natu inter fratres Heliabus maximus hastam,  
Hastam, qua solitus syagros agitare, ferebat.  
Amminadab Post hunc Amminadab lateri succinxerat harpen  
Sammam Hisque minor Sammas melis de pelle pharetram  
260 Villosam iaculisque grauem gestabat acutis  
Atque arcum dura taxi de stirpe dolatum,  
Non incerti ictus, quum resque locusque petissent.  
Talibus instructos armis ubi regia Saulis  
Excepit iuuenes, custodum concita turba  
265 Admirata nouos habitus, noua tela uirorum,  
Vnde, rogat, ueniant aut quid uenere petitum.  
Illi haec confessi subeunt penetrabile superbum  
Rex Saul Atque micans auro. Soliis hic praeses eburnis  
Sederat, Oebalio pulchre uelatus amictu,  
270 Aurea scepra tenens. Canum caput aurea circum  
Stabat perstringens oculos fulgore corona.  
Aurea perspicuis torques distincta lapillis  
A collo pendens pectus decorabat honestum.  
Circa illum famuli et procerum longo ordine coetus

275 Nobilis astabat. Fratres, ubi tale tribunal  
Accessisse datum, pariter ceruicibus omnes  
In terram pronis et aperto uertice adorant.  
**Fratres Daudis ad Saulem** "O rex magne, tui sumus" aiunt "fida clientis  
(Si nescis) Iessei nos pignora Bethlemitae,  
280 Daudis fratres, tibi quem dimittere iussus  
Ille quidem non parua suae solatia uitae  
Paruit aspernans. Puerum concede parenti  
Nosque loco illius teneas. Hoc poscimus omnes.  
Hoc genitor Iesseus uotis petit omnibus unum.  
285 Permite, ut gregibus praesit, robustior aetas  
Illum bello habilem donec tibi reddat et armis.  
Suspensa rex mente stetit, dimitteret unum  
Incertus puerum, tribus his ad bella receptis  
(Bella autem magno feruebant horrida motu),  
290 Anne recusatis solum retineret apud se  
Daudem. Tanto solum complexus amore est.  
Sed tamen instantis uicit formido pericli  
Proque istis ipsum iam tandem passus abire  
Assensit uotis pariter fratrumque patrisque.  
295 Nondum erat expertus, quantum iam corporis ille  
Viribus atque animi teneros excesserat annos.  
Nuncius interea regis perfertur ad aures  
Hostilem turmam latis descendere campis  
Iamque Palestinas acies pallare per omnem  
300 Iudaeae regionis humum. Mora nulla, paratam  
Rex Saul ipse suam profudit ab urbe phalangem.  
**Saul processit ad pugnam** It peditum pilata manus gladioque iuuentus  
Ancipiti succincta latus. Pars ferre sagittas  
Ithyreosque arcus, pars molles uertere fundas,  
305 Non molles ut agant saxis stridentibus ictus.  
Inde ruunt equitum directis cursibus alae  
Puluereamque ciet pulsu leuis ungula nubem.  
Has inter medius graditur rex ipse cohortes  
Et festinantes moderatur uoce maniplos.  
310 Martius hunc sonipes tectum fulgentibus armis  
Sublimemque uehit terrens hinnitibus auras  
Atque citatorum sinuosa uolumina crurum  
Alternans et frena ferox spumantia mandens.  
Talis Peleum Persis fera bella mouentem  
315 Bucephalas uexisse ducem memoratur et Indis.  
Talem Neptunus donauit Ariona magno  
Adrasto, Argium (si vera est fama) tyranno.  
Aduenere locos, Socoth et Azetha uocabant,  
Quos Terebintea paruo discrimine uallis  
320 Diuidit atque humilis montes interiacet altos.  
Illa Palaestinae caepere cacumina turmae,

Haec Iudea phalanx. Positis certamina castris  
Parua serunt cursuque leui magis arma lacessunt  
Quam pugnam exercent, quum tandem maximus ille,  
325 **GOLIAS** Ille Gygantei generis, sed spuria, proles  
In mediae uallis descendens plana Goliath  
Horrendo clamore tonat: qui cernere ferro  
Et conferre manum secum audet, colle relicto  
Deuolet, ut medio peragantur praelia campo.  
330 Vnius iam caede uiri si uictor abibit  
Iudeae miles, populo dominetur utrique  
Rex Saul; oppresso si uicerit hoste Goliath,  
Turba Palaestinae concaedat Saulica genti.  
Talia uociferans, ualido correpta lacerto  
335 Tela quatit toruisque oculis et fronte minatur.  
Corporis huic habitus, cubitos qui mensus in altum  
Bis ternos palmumque simul processerat unum,  
Membraque tam magnae quadrabant caetera moli.  
Improba crassities laterum, tumor altus obesi  
340 Ventris, coxa patens, longa internodia crurum  
Luxuriansque thoris pectus taurinaque colla,  
Magni humeri magnaue humerum ramalia chelae  
Insignisque pilae caput instar, tetrica uultus  
Effigies oculique truces rictusque ferinus.  
345 Denique tota uiri facies metuenda grauisque  
Omnibus aspectus, quanuis quoque nulla tulisset  
Bellica tela manu certareque uellet inermis.  
Quanto igitur potuit Saulis magis esse timori  
Militibus multo armorum munimine fultus  
350 **Arma Goliae** Ingentes artus ingens lorica tegebat,  
Cassis athena caput, suras et brachia circum  
Ferreus terrifico crepitabat murmure lamma,  
Ferreus et clypeus leuo pendebat ab harmo  
Fulgorem spargens aduerso sole micantem.  
355 Hastam dextra minax digitis complexa trabalem  
Vibrabat lati conuersa cuspide ferri.  
Israhelitarum dum singula corpora solus  
Prouocat ad pugnam, segnes et uoce lacessit,  
Nemo fuit numero ex omni, qui comminus armis  
360 Certare et contra uoluisset stare Goliath,  
Magna licet praeses uincenti praemia, magnos  
Proponat census et summum laudis honorem.  
Quippe suos animis postquam languescere uidit,  
**Saul ad suos** Talibus aggreditur dictis: "Fortissima quondam  
365 Pectora diuinumque genus, Iudea iuuentus,  
Cernitis en quali nos contra tendere probro  
Non cessat uocitans audax in praelia Getheus?  
Nonne estis geniti ex illis, qui regibus istud

Erripuere solum, quis gentes uincere iniquas  
370 Fata dabant? Deus ipse, deus considerare terris  
His iubet, et timor est inimicae obsistere genti.  
Res et opes uobis et cuncta auferre paratae?  
Vasti hominis moles si terret, peruia ferro  
Hic quoque membra gerit. Multo si robore praestat,  
375 Robustum quandoque leuis prostrauit, arena  
In media fixum telis, elephanta Gethulus.  
Sit magnus sitque ille potens, dum uestra probatur  
Dexteritas agilisque manus solersque cauere  
nota Atque inferre ictus. Vires industria uincit,  
380 Adsit tantum animus. Pavidos fortuna repellit.  
Quicumque ex uobis processerit obuius illi  
Et uictum dederit letho, cumulabitur amplis  
Diuitiis factusque gener mihi, liber in omne  
Tempus erit, nullum pendens aliquando tributum  
385 Ipse genusue suum." Quem non uel talia uerba  
Vel tam praecipuae mercedis pacta mouerent?  
Muta tamen stant ora uirum laudisque fauorem  
Promissique fidem uicit formido pericli.  
Feruidus interea iussis parere paternis,  
390 Daudid Affuit hic Daudid, quid sit cum fratribus actum,  
Quaesitum missus, tunc regia signa secutis.  
Atque ubi conspexit cum telo stare Gygantem,  
Dumque illum nemo praesumit tendere contra,  
Exultare ferum nec adhuc decedere ab illo,  
395 Quo uoluit certare, loco, turbatus in iram  
Exit et ad regem prompto sermone profatur:  
Daudid ad Saulem "Psaltes ante tuus, pugilem nunc offero dextram,  
Inclyte rex, ne se iactet temerarius ille  
Iam uicisse omnes exclamans nemine uicto.  
400 Est animus conferre manum, superumque fauente  
Numine Getheum sternet mea dextra Goliath,  
Ipse meis si me permittis sortibus uti."  
Obstupuere omnes iuuenili in corpore tantum  
Esse animi. Rex ipse oculos defixit in illum  
405 Admirans. Dubitat, ne sit fiducia maior  
Viribus ista suis inconsultusque iuuentae  
Et rationis egens in aperta pericula cursus,  
Saul Daudidi Atque ait: "O iuuenem mihi iam charissime, quo te  
Nunc tuus ardor agit? Transcendis nisibus annos.  
410 Ante pilos certare cupis, tyrunculus illa  
Attentare audes ueterani militis arma,  
Nec tibi succurrit, quam praestans uiribus ille est,  
Quam ferro instructus, quam toto corpore magnus?  
Immodico moderare animo mentemque ferocem  
415 Refrenans melius florenti consule uitae

Et patere, ut subeant alii certamina tanta,  
Dum tibi digna tuo crescet conamine uirtus."  
Nil iuuenem terrent haec talia dicta magisque  
Gliscit amor pugnae, remoratus suscitatur ardor  
420 Tentandi penitus maiora incendia belli.  
**Comparatio** Ac uelut audacem uenator forte Molossum  
Quum tenet, ille alacer uiso se porrigit urso  
Vlteriusque ruens retinacula rumpere tentat,  
Necdum dimissus latrat, furit, ingemit, urget,  
425 Carpit humum, nunc huc agilis, nunc uertitur illuc.  
Haud aliter Dauid: toruo spectare Goliam  
Lumine saepe minax, precibus quoque flectere regem  
Moliri et magnum uultu praeferre uigorem  
Spemque simul uincendi animoso prodere gestu  
430 Dicereque, in siluis saeuo quum occurrerit urso,  
Ausum se praesenti animo consistere contra  
Atque pedem firmare loco, donec venienti  
Attulit exitium discussis fuste cerebris.  
Inde quod in fuluum gradiens quandoque leonem  
435 Inciderit, rictus qui contra ferret hiantes  
Infrendens rapidoque ruens per deuia cursu,  
At se contortum difractis dentibus acri  
Infixisse gulae per aperta foramina saxum.  
Hinc illum gemuisse diu, dum spiritus aeger  
440 Non potis obstruso est halitus agitare meatu,  
Fessa sed inclusa cruciantur uiscera uita,  
Donec humi exanimes fugiens dimitteret artus.  
Sic praestante deo magni se caede Goliae  
Iam fore praesenti notum saecloque futuro.  
445 "Atque istud tam turpis" ait "foedique timoris  
Dedecus effugiet, quod uobis obiicit hostis,  
Quum demum uicto uos gloria certa sequetur."  
Talibus instanti rex tandem caessit et arma  
Apta dedit: phræeam, ferratum tegmen et hastam  
450 Et nitidam puro galeam clypeumque metallo.  
His tamen abiectis abiit Iesseia proles  
Arrepto tantum nodosae stipite quercus.  
Funicæ etiam fundæ Balearis habenas  
Aptat et e scrupulo ripae propioris aceruo  
455 Quinque capit lapides, aequati ponderis omnes,  
**Dauid superat Goliam** Collegitque sinu praestolantemque Goliam  
Protinus aggressus, fundæ uertigine saxum  
Coniicit idque uolans stridenti turbine fertur.  
Tum ualide illisum perfracta casside frontem  
460 Diffindit mediam. Lethali saucius ictu  
Mugiit ut taurus sacras mactatus ad aras.  
Per uultus perque arma fluens miserabilis humor

Sanguinis admixto coepit manare cerebro.  
Ille labans tereti iam frustra innititur hastae,  
465 Frustra stare cupit. Mox praeceps corpore toto  
Labitur in terram. Tremuit sub pondere tellus  
Armaque labentis magno sonuere fragore.  
Impiger hinc Dauid prostratos occupat artus  
Accurrens praensaque coma morientis et ense  
470 Continuo secat immanis fera guttura colli  
Auulsumque caput tollit sublime suisque  
Ostentat uictor. Ferit ardua sydera clamor  
Israhelitarum. Trepidae fugere cateruae  
Incircumcisae montana per auia plebis.  
475 Insequitur Iudea phalanx pauitantia caedens  
Terga uirum longe, portas Acharonis adusque  
Getheasque domos, hosti loca tuta fugato,  
Qui reliquus potuit caedi superesse cruentae.  
*Vesper* Inde reuertentes quum Sol procliuius in undis  
480 Oceani nitidum properaret condere currum  
Parsque aduersa poli, uenienti obnoxia nocti,  
Inciperet terrae tenui uestirier umbra.  
Inuadunt uallos, hostilia castra rapinis  
Euacuant spoliisque domos atque oppida complent.  
485 In summis Solymae suspendunt moenibus urbis  
Triste Palestini populo plaudente Goliae  
Sanguineumque caput. Sanctae sub tecta tabernae  
Arma tulit Dauid regique dicata superno  
Liquit et ingentes pro palmae munere grates  
490 Exultans laetumque canens peana peregit.  
En tibi, quo tandem perducta est ira superbi,  
Qui sese inuictum iactarat, uiribus ampli  
Corporis et fido armorum munimine fretus  
A pastore iacet tandem superatus inermi  
495 Atque illi, pugnax quem secum gesserat, ensi  
Praebuit oblatas ceruices uictus et ora.  
*nota* Ergo uelut tenues uanescit fumus in auras,  
Sic nimis elatae perit improba gloria mentis.

## <Liber II>

### ARGUMENTVM

Regum lib. I, cap. XVIII. Amicicia inter Dauidem et Ionatham, Saulis filium. Saul Dauidem praeficit militibus. Sed quoniam plebis cantibus illum sibi praeferri audiuit, uoluit eum interficere. Gratiam simulat.

Despondet ei filiam Michol. XIX. Daudid fugiens Saulem latet. Reconciliatur. Superat Palestinos. Rursum fugit. Domi obsessus per fenestram demmittitur. Obsessores a Michola eluduntur. Coram patre coarguta factum excusat.

## Lib. II

*Inter Daudidem et Ionatham amicitia* Ingenti excepit rex Saul Daudida fauore

Accumulatque bonis. Ionathas quoque, regia proles,  
Amplecti hunc unum fraterno coepit amore,  
Officiis animoque colens super omnia fido.

5 Aequali Daudid studio flagrabat in illum,  
Ne uictus summi meritis uideretur amici.  
Ambos una parens grauido si uentre tulisset  
Fudissetque simul partu foecunda gemellos,  
Haud maiora quidem poterant ostendere amoris

10 Argumenta pii inter se mentisque benignae.

*Ionathae dona Daudidi oblata* Iam primum Ionathas donauit uestibus illum,

Purpura quas Tyrio feruens infecit ahenis  
Quasque Semyramia diuersis foemina filis  
Pinxit acu, dono tali testatus amorem

15 Ipse suum meritumque uiri. Tunc splendida panni  
Gratia uirgati rauos eiecit amictus  
Et ferrugineas cocco toga tincta lacernas,  
Tegmine sub uili ne fortia facta laterent  
Nobilitasque animi. Gladium quoque caessit eidem,

20 Cuius et argento capulus caelatus et auro  
Fulgebat, miris uaginam mille figuris  
Exornabat ebur, flauenti lora metallo  
Intertexta nitent. His Gnosia spicula iungit  
Corithosque leues et saeuum flexibus arcum.

25 Haec cuncta ut fuerint multo licitanda triente,  
Ille tamen sese maioribus undique donis  
Praestabat dignum. Regi parere paratus,  
Illorum, quae iussa sibi, nec mole grauari  
Nec poterat diri terreri sorte pericli

30 Impaudusque animo simul inuictusque labore  
Omne sibi iniunctum praeclare munus obibat.  
Inuidiam poterat laudis superare decore,  
Si sibi praelatum post talia facta tulisset  
Non ita duro animo Saulis uecordia regis.

35 *nota* Sed nec ferre potest illos nec amare superbus,  
Quos anteire uidet famae melioris honore.

Exuuias igitur quum Daud et arma Goliae  
Suffixumque caput pilo portaret ad urbem,  
Israhelitarum tunc undique concita pubes  
40 Obuia procurrens contentaque tympana pulsans  
Multisonumque mouens aedebat cantica sistrum.  
Omnia laetitiae de tanto signa triumpho  
Pro se quisque dabat, nuptae innuptaeque puellae,  
Dum festas agitant ad compita nota choreas  
45 Et uario glomerant sinuosa uolumina saltu,  
Percussit Saul mille et Daud decem millia Cantantes dixere: "Manus  
Daudica strauit  
Millia bis quinque et Saulis uix dextera mille."  
Tunc ueluti subita confixus cuspide ceruus  
Ingemit et siluas querulis mugitibus implet.  
50 Hic coepit Saulis inuidia in Daudem Sic, ubi iam tales cantus Saul  
auribus hausit,  
Contorquere caput furiis accensus et ira  
Coepit et "En," inquit, "quo me sors egit iniqua,  
Vt decuplo maior Daudi gloria surgat,  
Nostris auspiciis, nostro qui militat aere,  
55 Quam mihi, qui regno praesum, quem maximus unum  
Spectat honos. Ergo conuerso cardine rerum  
Mancipio dominus famulabitur? Ille sedebit  
In regni solio et sceptri potietur honore?"  
His ardens odiis, illi, quem semper amauit,  
60 Insidiari animo iam tandem coepit acerbo,  
Non culpa ipsius, sed uulgi errore pusilli,  
Si tamen est error laudes plausumque dedisse  
Illi, qui uictis uicto succurrerat hoste  
Quique sua cunctis peperit uirtute salutem.  
65 Tempus Altera flammiferi iam lampas fulgida Solis  
Scandebat rapido summum super aethera curru  
Sudantesque agitabat equos, quum Saulis ab imo  
Saul iratus Surgens corde furor totos perfuderat artus.  
Palluit os illi, coeperunt colla tumere,  
70 Horrere arrecti crines, infrendere dentes,  
Scintillare oculi, spumantia labra tremore  
Quassari, adductis fieri frons aspera rugis.  
Vsque adeo formae mens indignata prophanat  
Effigiem turpesque serit super ora figuras.  
75 Sollicitus Daud cytharam pulsare canoram  
Accelerat notasque sono tentare medellas,  
Non hanc esse putans hominis, sed demonis iram.  
Ille tamen telum (telum nam forte tenebat)  
Torsit in aduersos uultus atque ora sonantis.  
80 Sed declinato Daud bene providus ictu  
Proiectaque cheli suspectam deserit aulam



Et fugiens odium uitat capitale tyranni.  
Sed rex cassa uidens primae molimina fraudis,  
Inde dolos alios meditans, caelare cruentam  
85 Nititur inuidiam mentitae nomine pacis.  
Placatos praefert uultus Dauide uocato  
Et dextram dextra tangens sic ore profatur:  
Saul ad Dauidem "Foedus amicitiae tecum firmare perennis  
Est animus. Dauid charissime, mitte timorem  
90 Nec quicquam dubites. Tua sit uolo sponsa Merobe,  
Virgo inter natas forma pulcherrima nostras,  
Quum dulces de te nobis paritura nepotes.  
Tum tibi praestantem regali stemmate prolem.  
Perge modo et dignum tam praeclaris hymeneis  
95 Te praestare stude. Primae dux esto cohortis  
Atque Palestinos uastator curre per agros,  
Nec pecori, nec parce uiris. Prostrasse Goliam  
Et pepulisse procul nostris a moenibus hostem  
Non satis est, nisi Marte ferox aliena lacessas  
100 Illorum populans fines, inuadere regni  
Ausi qui dudum fuerant campestria nostri."  
Comparatio Callidus ut quondam curuo piscator in hamo  
Componit dulces et in aequora porrigit escas  
Blanditusque cibus unco comprehendit ahenos  
105 Et trahit affixum per fila tenacia piscem,  
Si non excusso frustretur linea congro,  
Sic Saul alloquio caelat quod corde uolutat.  
Nanque cupit tali Dauidem Marte perire,  
Polluat ipse suas eius ne sanguine palmas.  
110 Respondet Dauid Tunc humilis Dauid "Qui sim, uel qualibus"  
inquit  
"Intra Bethlemam genitus natalibus urbem,  
Vt merear gener esse tuus, clarissime regum?  
Non mea paupertas, generis neque sordida nostri  
Conditio digna est tam celsum scandere limen.  
115 Vis nocti conferre diem? Vis aequora uasta  
Angusto stipare lacu? Certamina belli  
Non detrecto quidem; quascunque lacessere gentes  
Iusseris, ipse tui Dauidis primus in illas  
Stringetur gladius. Generosior ista Merobes  
120 Connubia accipiat. Satis est mihi gratia pacis,  
Quam praestas, o rex. Habeo nil charius illa."  
Sic fatur Dauid nec adhuc expertus amoris  
Lasciui stimulos, pugnas tractare uoluptas  
Illi maior erat. Studiis mens dedita belli  
125 Non poterat molles Veneris admittere lusus.  
Ergo regalis genialia pacta puellae  
Hadrihel accepit, procerum ditissimus urbis,

Nobilitate potens. Celebrat sponsalia, tedas  
Accendit, fruitur thalamis et amore maritae.

130 **Dauid captus amore Micholae** Mox etiam Dauid bellis inuictus ab isto

Ignem fuit uictus coepitque ardere Micholam,  
Regis et hanc prolem. Cupidis modo nutibus illi,  
Et modo blandiri uerbis, praesente iocari,  
Absentem per crebra quidem suspiria cordis

135 Quaeserere solliciti, nullam sentire quietem,  
Donec ad aspectum sese transferret amatae.

**Saul** Hoc ubi Cisides persensit, gaudet adeptum  
Implendi se uota modos, quo protinus ipsum  
Coniuge promissa grauiora pericula Martis

140 Cogat adire feri celeremque arcessere mortem.

**Comparatio** Sic gaudet cupidus praedae uenator, adacto  
Inter conualles angusti tramitis urso,  
Effugium cui saxa negant obstantia, credens  
Vsurum se caede ferae, sed dentibus illa

145 Infrendens conuersa retro ruit impete uasto  
Et notas repetens fauces latrone repulso  
Iam loca tuta tenet campoque potitur aperto.  
Frustra igitur sceleris peragendi tempora nactum  
Apta ratus iam se Cisides, protinus instat

150 Occultis certare dolis et fraude latenti.  
Submittit quosdam simili satis arte peritos,  
Dauida incautum qui supplantare uolentes  
"Macte" aiunt "uirtute tua, fortissime Dauid,  
Chare nimis regi! Tibi nubere nanque Micholam

155 Ipse suam statuit natam: quae saepe petita  
Diuitibus clarisque procis, tibi traditur uni.  
Nec dubita, multas quod nondum possideas res,  
Non aliud pater ipse sua pro uirgine munus  
Poscit quam centum inuisae praepucia gentis,

160 Arua Palestinosque colit quae plurima campos.  
Merces magna, leuis labor est. Age, caede prophanos  
Et rediens cupidus amplexibus utere nymphae!"  
Quanquam Dauidis laeta est audacia sorte  
Hac sibi proposita, non se tamen ille fatetur

165 Esse thoro dignum, quem celsius euehit alta  
Maiestas quam quo poterit sua tendere uirtus,  
Sed tamen "Experiar dubii discrimina belli"  
Inquit "et anne humiles oculis deus aspicit aequis.  
Porro quum fuerim satis hoc expertus in illo,

170 Qui nostrae iacuit prostratus uerbere fundae.  
Idem, spero, deus nec in his me deseret ausis.  
Exurgens igitur cuneos ad bella coactos  
Instructamque aciem trahit audax et ruit ultro.  
Urgebat, quae tarda solet quoque corpora pronis

175 Cogere ad arma animis, adamatae forma puellae.  
Lata Palestinae uastat populatibus arua  
Agmineque infesto properans Acharonis ad agrum  
Castra inimica uidet. Tunc firmat signa parumper  
Hortaturque suos: "Socii, confidite," dixit  
180 "Vicimus. Hos etenim, quos contra stare uidetis,  
Iussit rex Superum uestris delerier armis.  
Qui iubet, hic uobis dabit, ut praestare queatis.  
Tantum animis opus est et iam rata fata sequentur."  
Dauid uictor Dixit et aduersos telum contorsit in hostes.  
185 Sublato clamore uiri curruntque ruuntque,  
Quenque suus satis ardor agit. Missilia primum  
Huc, illuc uolitant, stricti mox comminus enses  
Ictibus increpitant. Miscentur praelia, puluis  
Tollitur et tristes operit caligine pugnas  
190 Spectantumque oculi tantum aera micantia cernunt.  
Aequo Marte diu certatum, denique lassus  
Hostilis cuneus iam retro caedere coepit.  
Hoc magis expauidae sparsaeque insistere turbae  
Iudeus certat miles: iam Marte fugatos  
195 Opprimere et multos furuo demittere Diti.  
Corpora strata iacent campo; seruauit ad urbem  
Paucos uersa fuga et uelox ad tuta recursus.  
Exultat uictrix legio ditata rapina  
Armorum, pecudum, peregrinae uestis et aeris  
200 Atque omnis generis uictus. Agit ipse Tonanti  
Dauid Summas Iesseides grates et numen adorat  
Illi uni acceptum referens quod uicerit hostes.  
Regalisque memor pacti truncare peremptis  
Membra pudenda iubet. Rapuerunt ense resectos  
205 Bis centum (ut dicunt) cassos tentigine pennes.  
Is numerus stratae per gramina rubra cruore  
Gentis erat. Parua colei stipantur in arca,  
Promissis thalamis donum dotale futuri.  
Hinc uictor Dauid, turba comitante suorum,  
210 Ibat ouans, uiridi redimitus tempora lauro  
Et biiugo uectus curru. Peana canebat  
Pone sequens miles pulsataque tympana bombos  
Aedebant et silua sonum per inane uolutum  
Atque cauis haustum rimis referebat eundem.  
215 Ingressus Solymas Dauid praepucia regi  
Bis centena tulit, geminato munere pactos  
Exuperans thalamos. Miratur tanta tyrannus  
Acta ducis laetusque sui tot computat hostis  
Funera, quot sectos licuit sibi cernere testes.  
220 Dauidis uxor Michola Ne uero ingratum cuncti fideique malignae  
Censerent, sponsam iuueni sociare Micholam

Connubio statuit stabili. Properatur ad alta  
Atria, conueniunt matres matrumque mariti,  
Impubes pueri simul et robusta iuuentus  
225 Et forma insignes uiridique aetate puellae,  
Conuentus uarius, quem latae porticus aulae  
Saul Vix capit. In solio Cisides celsus eburno  
Sederat. Ecce autem, linquens secreta cubilis  
Prodiit in medium pulchris ornata Michola  
230 Vestibus et reliquo cultu, sed pulchrior ipsa.  
Circa illam pueri, quorum manui altera sponsam,  
Altera succensae retinebat lumina tedae.  
Stabat et indutus gemmata ueste sacerdos  
Intectusque caput niuea uenerabile mytra.  
235 Hic Dauida prius, pulchram rogat inde Micholam,  
Si sponsam uelit hic et si uelit illa maritum,  
Utque ambos uidit paribus concurrere uotis,  
Praecipit haec eadem ritu firmare iugali:  
Dextrae dextra datur, digitis detorta mariti  
240 Gemma nouae digitos coepit constringere nuptae  
Fulgenti laqueo, fidei per saecula colendae  
Pignus perpetuum seruatus ut annulus esset.  
Inde deo precibus porrectis prospera dixit  
Ambobus uota et proli quoque fausta futurae.  
245 Postquam perfecto siluit sermone sacerdos,  
Insequitur lituum stridor clangorque tubarum.  
Ingenti sonitu concussa est regia tota,  
Contremuit paries. Poterant timuisse ruinam,  
Ista sacri (ut quondam) si flarent aera Leuitae,  
250 Si foret hic priscae Hiericuntis moenia murus.  
Nil aliud poterant aures audire loquentum,  
Verba magis magno strepitu superata quierant.  
Conticuere tubae, calamos inflare choraules  
Et digito pulsare leui caua cymbala psaltes  
255 Coepit et argutis fidibus resonare lyristes  
Ac Phrygios cantare modos. Nunc tinnit acuta,  
Nunc tonat ille graui, media modo temperat istos  
Voce sonos, agili pulchre quos gutture uibrat  
Concordans cytharae linguae prolata canori.  
260 Arrectae cunctorum aures dulcedine tanta  
Et capti stabant animi. Nil murmuris usquam,  
Nil strepitus, donec finitis cantibus uni,  
Vni omnes toto pariter plausere teatro.  
Et si sic animos demulcet musica cantus  
265 Terreni nostraeque iuuant sic carmina fecis.  
Angelorum cantus Angelicum quanto fas nobis credere melos  
Esse suaue magis, mulcens pia corda beatum,  
Illo, ubi iam nullo clauduntur gaudia fine,

Ante dei sublime thronum clarumque tribunal?

270 Talibus ergo frui tam miris si libet odis,  
Quae sunt perpetuae dulcedinis, ista uoluptas  
Incerta, instabilis, leuis, impia, reprobata, fallax  
nota Spernenda est nobis. Non est apprehendere dignus  
Immortale bonum, cui sunt mortalia cordi,

275 Quem male terreni foedant contagia luxus.  
Propterea uanos uulgaria turba canores  
Dum nimis intentis animis atque auribus haurit,  
Dum saltu uario ludit lasciua iuuentus  
Multimodisque chorum gaudet deducere gyris,

280 Daudis uota Interea Daud tollens ad sydera mentem  
Caelicolum regem uotis precibusque petebat.

Coniugii seruare fidem, seruare pudici  
Iura thori et sancte proprios educere foetus  
Ipsis ille daret, quos nunc coniunxit in unum,  
285 Arceret rixas, suspectum tolleret omnem,  
Ambobus uitam uacuam rumore sinistro  
Caederet et uerae uirtutis luce nitentem,  
Scilicet ut possint dominoque deoque placere,  
Donec uterque sui cursum perfecerit aevi.

290 Saul At contra Saulem saeua torquere simultas  
Coepit et exurens penitus praecordia liuor.  
Nocte iacens uigilat, negat improba cura quietem,  
Fastiditque die positae conuiuia mensae  
Et renuit gustare dapes festosque hymeneos

295 Suspensus celebrat, ridens ridere uidetur  
Inuitus tristemque animum uelamine laeto  
Obtegere atque aliquem nutrire in corde dolorem.  
Nam uidet in cassum fraudes caessisse malignas  
Et frustra inuisum iuuenem obiectasse periculis

300 Bellorumque minis. Ipsum magis ergo timere  
Incipit et tacitus secum meditatur iniqua  
Atque indigna nimis pravae molimina mentis  
Insontem contra generum, disperdere certus  
Siue per insidias ficti pro tempore amoris,

305 Siue palam potius per aperti praelia Martis.  
Nunc hos, nunc illos aditus sine fine requirit,  
Polluat ipse suam cognato ut sanguine dextram  
Crudelis magis anne ingratae mentis in illum,  
Cuius erat sanus cantu, certamine tutus,

310 nota Non satis est certum. Semper tamen irritus omnis  
Contra fata labor fuit et conatus inanis.

Ipsa igitur magni Daudem rector Olympi  
Omnibus ereptum seruabat ubique periculis,  
Vt manibus ueri iam pridem facta prophetae

315 Vinctio per tuta et rerum prosperrima posset

Euentu gaudere suo, quum Saule repulso  
Susciperet regni sceptrum Iesseia proles.  
Ergo dum curis Cisides aestuat atris  
Bella gerens Daudid fines tutatur et hostem  
320 Proterit armatus. Totas quandoque phalanges  
Infidae gentis Solymarum ad moenia captas  
Secum uictor agit, iam fama et laudibus omnes  
Et uirtute duces anteibat. Sed tamen idem,  
Omnibus eximio semper dilectus amore,  
325 Inuisus soli post tot benefacta tyranno.  
Proh, miseranda nimis regum non rite regentum  
Conditio! Dum sceptrata timent amittere, nulli  
Parcunt, suspectis tunc indignantur amicis,  
Affectos aliqua quum cernunt laude merentes.  
330 Nox Iam Nox atra diem terris dimouerat alnum  
Humentesque super tendens diffuderat umbras,  
Quando Cisides Ionatham reliquosque uocauit  
Custodes lateris uulgoque in parte remoto  
Saul in Daudidem Alloquitur stantes: "Quis tam temerarius" inquit  
335 "Extat, ut ille meis penitus parere negabit  
Imperii? Iubeo Daudidem protinus ipsum  
Interimi uestris armis. Ne quaerite quare.  
Ille meus fiet, qui iussa refugerit, hostis.  
Experiar, seruone magis seruire uelitis  
340 An domino." Tales rabidus dabat ore loquellas.  
Discessit tristis Ionathas moestusque periculo  
Illius, magno fuerat cui iunctus amore.  
Ergo sollicitus Daudidis tecta petiuit.  
Illi aperit secreta patris metuendaque caedis  
345 Consilia, his ipsum affatus pro tempore dictis:  
Ionathas ad Daudidem "Infensum uites, Daudid charissime, regem  
Infestumque tibi. Lictoribus ille uocatis  
Dat mandata tui, quum Sol illuxerit orbi,  
Quo te cunque loco poterunt reperire, necandi.  
350 Quare efferre pedem caueas de limine portae  
Ipse tuae totumque diem sub tecta sedeto  
Illa parte domus, tutae quae uisa latebrae  
Esse magis fuerit, donec modo pectora regis  
Aspera per blandos tentem mollire precatus  
355 Illiusque tibi mentem mox ordine pandam.  
Interea lateas oro incolumemque memento  
Conseruare tuo nostram sub pectore uitam.  
Laesus eris si quo (deus hoc auertat) ab ictu,  
Effluet ex illo noster quoque uulnere sanguis,  
360 Commixtos animos communeque corpus habemus."  
Daudid Talia dicentem Ionatham complectitur ille,  
Oscula dat, summas tali pro munere grates

Laetus agit, non ipse suae discrimina uitae  
Sic timet, ut fidi gratatur amore sodalis.  
365 Mox festinatis regales passibus aedes  
Ingressus Ionathas iam fessa labore metuque  
Nocte silente dedit placidae sua membra quieti.  
Atque iacens, quali, quum crastina fulserit hora,  
Mulceat affatu genitoris, cogitat, iram,  
370 Cogitat et somno cura uigilante repugnat.  
Mane Sol uagus Eoa nitidum caput extulit unda  
Exutusque nigros apparuit orbis amictus  
Atque suus rebus rediit color. Obuius illo  
Exceptit Ionathas uenientem tempore regem  
375 Ante fores thalami. Tunc illum uertice prono,  
Sicut moris erat, supplex et mitis adorat  
Ionathas ad Saulem Atque his alloquitur dictis: "Certissima, salue,  
Spesque salusque tui populi! Quis, quaeso, tuarum  
Esse potest laudum cupidus magis atque decoris,  
380 O rex, prole tua? Quare tibi dicere cogor  
Quicquid obesse rear splendori nominis usquam,  
O pater alme, tui. Communis gloria tecum,  
Communis tua culpa mihi. Nunc ergo rogatum  
Te uenio obtestans: Daudem perdere uelle  
385 Desiste immeritum durouae extinguere fato  
Egregium fidumque tibi. Fuit ille decori  
Virtuti famaeque tuae, qui caede Goliam  
Sustulit, aduersas qui fregit Marte phalanges.  
Armatus quoties conflixit, uictor ad istam  
390 Cum spoliis rediit, cunctis plaudentibus, urbem.  
Gloria magna tibi est promptos fortesque fouere  
Semper ad arma uiros. Praesentia numina sentis  
Hoc bellante tibi. Metuunt inuadere regni,  
Incolumi hoc, fines urbesque lacessere bello  
395 Insidiisque tuas. Quem si patiare perire,  
Mutatas uereor reuoluto cardine sortes  
Et conuersa retro fata indignata referri."  
Sic fatur Ionathas, et rex placatus in ipsum  
Daudem iurat se nullas deinde nocendi  
400 Illi intensurum fraudes, nihil amplius esse,  
Quod sibi formidet: conspectum horrescere regis  
Desistat, notos inter numerandus amicos.  
Laetus ad haec Ionathas grates persoluit et ipsi  
Talia Daudi gaudens ex ordine pandit.  
405 Daudid Securum latebris Daudid post terga relictis  
Regia festino gradiens pede limina scandit  
Erectosque gradus surgentis ad aethera tecti.  
Tum Ionatha comitante petit fulgentia Saulis  
Atria. Rex illum placido satis accipit ore

410 Atque data dextra charum sibi tempore in omni  
Iam fore promittit promissaque foedere sancit,  
*nota* Instabili tamen ista fide. Nam dira phrenesis  
Quem superat penitusque ferae uecordia mentis,  
Proposito facit ille nihil laudabile certo.

415 Nunc huc, nunc illuc deflectitur actus ab omni  
Vento, uela tamen rapidis dat saepius austris.  
Rursus ad arma ferox excitus fuderat hostes  
*Dauid* Iesseides Dauid uictoreque milite cinctus  
Venit ouans, Solymam turbis plaudentibus urbem

420 Ingressitur laetusque sui subit atria regis.  
Illic forte sedens fessum certamine corpus  
Dum releuat, dextram, qua Martia praelia promptus  
Egerat aut uibrans ensem aut hastilia torquens,  
Transtulit ad cytharae modulantia fila sonorae

425 *Dauidis cantus* Nil uulgare canens, sed certe ut maximus olim  
Exurgens Abram primo ferus impete gentes  
Fuderit infidas praedamque receperit omnem,  
Quae fuerat Sodomis cum Lotho ablata nepote.  
Vt Hiercunteus lituum clangore sacrorum

430 Conciderit murus simul et clamore uirorum,  
Aspirante deo plebique fauente fideli.  
Praeterea Iesus, Iudea uictor in ora,  
Hostibus ut fuis Solis consistere currum  
Et proferre diem iussit, uel quo usque fugatos

435 Prosternat caedens, oneret uel compede captos.  
Vtque idem bello superatis regibus omnem  
Iudeae regionis humum possederit utque  
Israhelitarum tribubus diuiserit omnem,  
Et tamen hac sanctos priuarit parte Leuitas,

440 Consortem caeli quo se sciat esse sacerdos  
Aetheriaeque domus, non mundi labilis aulae.  
Post Iesum Iudas quid bello gesserit et quid  
Othoniel, quid Aioth, Delbora uirago Iahelque,  
Quid fortis Gedeon, quid denique uiribus omnes

445 Exuperans Sanson. Saulem quoque coeperat ipsum  
Diuino celebrans ad sydera tollere cantu:  
Vt, qui conati fuerant euertere Iabin,  
Vicit Amonitas, ut turmas fuderit acres  
Amalechitarum, quum regem caepit Agagum.

450 Plura etiam dicturus erat, sed percitus igne  
*Saul in Dauidem* Rex Saul inuidiae, Dauidis nomine laudem  
Ipse suam uinci cernens, exarsit in iras  
Feruidus et raptum magno conamine pilum  
Torsit in aduersum cantantis pectus, at ille

455 In latus accliuo uitauit corpore telum.  
Vitam paries confixus suscipit hastam



Hastaque fixa cauis ferrata cuspide rimis  
Compulit extemplo concussa fatiscere saxa.  
Ipse fuga elapsus non laeso corpore Daud  
460 Tecta laremque petit tenebris defensus opacae  
Noctis, nam stellis nubes obduxerat atra  
Splendentemque globum Lunae lucere uetabat.  
Armati ante fores missi sedere manipuli,  
Vt mane egressum iugularent. Murmura sensit  
465 Ante fores uxor metuensque pericla marito  
Rettulit. Ille fugam postico fecit aperto  
Incolumisque abiit. Lictores decipit uxor,  
Ne subito cursu fugientis terga sequantur.  
Michola elusit insidiatores Compingens mappas et linea lintea circum  
470 Inuoluens hominis studuit confingere formam.  
Implicitae effigiant tumidum caput oraque uittae,  
Hircina horrebant expressi pelle capilli.  
Grandia si paruis liceat componere, tales  
Oblatae Veneri fuerant a uirgine pupae,  
475 Excolerent quondam quum reproba numina gentes.  
Reclinat lecto simulachrum, stragula supra  
Iniicit et turbae respondit mane roganti  
Oppressum subito morbo Dauida iacere.  
Illi intro irrumpunt, ut iam uel caede iacentem  
480 Afficiant, recto uel uiuum tramite ducant  
Ad Saulem regem. Elusi commenta lacessunt  
Incusantque dolos et callida uerba Micholae.  
Rem referunt regi. Natam Saul inde uocatam  
Saul ad Micholam Increpitans "Tantumne animi superesse, Michola.  
485 (Quod nunquam rebar) potuit tibi," dixit "ut hostem  
Per mea securum ludibria siueris ire?  
Nec regem metuis, nec honoras stulta parentem."  
Michola respondet Illa sub haec lachrymis caute respondit obortis:  
"Heu miseranda meae sortis lugendaque multum  
490 Conditio! Si iussa patris complere laboro,  
Ense uiri pereo. Sin, cui sum iuncta, marito  
Obsequor, infenso pater infert iurgia uultu.  
Quumque animum premat haec angustia, nescio quo me  
Conuertam. Sed quis prohibet depromere uerum?  
495 A me dimissum nunquam Dauida negabo.  
Si mea non ueniam pietas, rex magne, meretur,  
Foemineo saltem miserans ignosce fauori.  
Ille minax stricto nuper mihi dixerat ense:  
'Si me non tacita emittas secretaque serues  
500 Quaerentesque dolo fallas, mea dextera letho  
Te dabit et nostro mittere ad Tartara telo.'  
Arma uiri euasi, quoniam mandata peregi.  
Sed falli te forte putas? Animi tibi pandam

Intima sensa mei, seu parcis uera fatenti  
505 Seu minus ignoscis. Non tam terrore minarum  
Quam pietate meum studui saluare maritum.  
Si non das ueniam, genitoris malo perire,  
Dum pia sim, manibus quam coniux impia dici,  
Perdiderim quod fraude uirum nil tale merentem.  
510 Opto fida mori potius quam perfida tetram  
Damnataeque bonis per saecula ducere uitam.  
Scito fuisse tuam tunc me, quum uirgo sedebam  
In laribus uerecunda tuis. Nunc, tradita quum sim  
Nuptum sponte tua, iam certe non tua dicor  
515 Esse, sed illius, cuius consortia seruo,  
Cum quo communis thalamus mihi resque domusque.  
Ergo tui iuris quum non sim, maxime regum,  
Libertam permitte suo seruire patrono,  
Si tibi et ipse tuos seruos cupis esse fideles.  
520 Aut si certa tibi Dauidem perdere mens est,  
Hanc prius, hanc animam iubeas excludere ferro.  
Haud penitus misera me fungi sorte putabo,  
Si modo morte mea praecedam fata mariti."  
His dictis languere furor, mitescere mentis  
525 Coeperat ira recens. Tacitus tamen inde recessit  
Rex Saul alterius subiens penetrabile cubilis,  
Vt fessam curis mentem requiete foueret.  
Ipsa suos repetit festina Michola penates,  
Suspensio sed adhuc animo meditansque periculum  
530 Coniugis et dirum patris immanemque furorem.

## <Liber III>

### ARGUMENTVM

Regum lib. I, cap. XIX. Dauid fugiens uenit ad Samuelem. Satellites missi, quum illuc uenissent, prophetabant. Venit Saul, sed etiam ipse prophetare coepit nihil ei inferens mali. XX. Dauid fugit. Cum Ionatha collocutus latebras petit. In conuiuio quaeritur regis. Ionathas absentiam eius excusans a patre lancea impetitur. Fugit. Dat signum Dauidi paterni odii. XXI. Dauid fugit Nobem. Ab Achimelech sacerdote accipit panes et gladium Goliae. Profectus ad Achim, Getheorum regem, capitis periculum insaniae simulatione uitat. XXII. Venit ad speluncam Odolam. Multi ibi ad eum conueniunt. A Gaddo propheta monitus uenit in terram Iuda. Doeck Idumeus accusatum a se Achimelecum cum reliquis Nobae sacerdotibus iubente Saule

interimit. Abiathar, Achimelechi filius, fugit ad Dauidem, a quo amice suscipitur.

### Lib. III

**David** Interea Saulem fugiens per devia Dauid  
Herbidaque ingressus Ramathei pascua ruris,  
Fida subit diui Samuelis tecta prophetae.  
Extemplo adueniens illum de more salutat,  
5 Mox scelus ingrati capitalemque indicat iram  
Erga se regis, tectas fraudesque dolosque,  
Insultus etiam manifestaue bella furentis.  
Caedere nequitiae tunc uate iubente tyranni,  
Excessere loco. Ruralem deinde profecti  
10 Secessum capiunt, ubi uicus nomine Naioth,  
Cuius culta suis Iordanis perluit undis  
Atque alit assidua laetos uligine campos.  
Hic sedem posuere sibi Samuelque propheta  
Bellatorque simul Dauid uitare uolentes  
15 Insanamque iram Saulis rabiemque furentem.  
Attulit id regi rumor. Tunc protinus ipsum  
Dauidem iubet exquiri uinctumque referri  
Adducique sibi, telis aut ense necandum.  
Sed quia mortalis frustra certare potestas  
20 Contra fata parat, missae fera turba cohortis,  
Vt uidere pios uates (mirabile dictu)  
Dignaque non modicis Samuelis honoribus ora,  
Correpti magno deponunt arma stupore  
Telaue proiiciunt tensisque ad sydera palmis  
25 Coeperunt cantu modulato condere laudes  
Atque deo grates misso Dauide referre  
Et subita saeuos animos pietate domare.  
**Comparatio** Sic aliquando poli gelido quum saeuit ab axe  
Horrida tempestas borealibus excita uentis,  
30 Dum metuit fragili sulcans uada salsa carina  
Nauita, dum trepidus cultor sata laeta perire  
Grandine mox laedente putat, uiolenta quiescunt  
Flamina tranquillumque salum caelumque serenum,  
Mutata rerum facie pulsoque pauore,  
35 Erectas hominum mulcent dulcedine mentes.  
At Saul, ut reditum per tempora tarda suorum  
Per longasque moras duci conspexit, eisdem  
Supplementa recens delecto milite misit,  
Dum dubitat primos ad talia facta patranda  
40 Vel minus audaces uel iam minus esse fideles.

Sed tamen hos etiam uatum praesentia mouit  
Conspectusque pii Samuelis et ora uirorum  
Plurima cantantum supero praeconia regi.  
Ergo ipsi pariter cantus dulcedine capti  
**45** Commendare deum caeli terraeque potentem  
Incipiunt clarosque uiros pietate fideque,  
Obliti Saulis mandatorumque nefandae  
Caedis in indignos nec quicquam triste merentes.  
Hoc ubi uulgatum, cuneus quoque tertius armis  
**50** Mittitur instructus ualidorum Marte uirorum.  
Ventum erat in Naioth, tunc aequae contigit istis  
Ac primis: Posita laudes feritate canebant.  
Nam sacer e caelo ueniens afflauerat omnes  
Spiritus. Hic animos illorum, hic temperat artus.  
**55** **Saul** Indigne ista ferens, subitam simul actus in iram  
Cisides, mora nulla, suam uocat ipse cohortem  
Atque anteire parat. Paribus quoque passibus agmen  
Terga ducis sequitur: pedites equitesque feruntur  
Ordine turbato, cuncti miscentur in unum,  
**60** **Comparatio** Dum celeratur iter, ueluti quum sole calenti  
Sturnorum nubes supereuolat acta sonoris  
Vocibus agricolae, fructus ne fertilis agri  
Laedat Amyneam rostris carpentibus uuam.  
Rex Saul, ut sacrum celeri pede contigit Aioth,  
**65** Primus sistit equum, primus descendit ab illo,  
Post regem reliqui. (Mirum!) ruiturus in omnes  
Qui mox uisus erat, placatur protinus, ipsum  
Praesentem mitis Dauidem spectat et ipsum  
Iam reuerenter adit uatem, iam carmina condit  
**70** Laudis et ipse deo reiecto nudus amictu  
Ac uelut insanus. Vulgi uox ire per ora  
Illa frequens coepit: "Cisides nunquid et ipse  
Intra Sanctorum coetum numerandus habetur?"  
Quisque adeo fera corda uiri mollita stupebat.  
**75** At uero Dauid, quanta inconstantia menti  
Insita regis erat, non inscius, inde recessit.  
Quumque loco quodam Ionatham reperisset, ad illum  
**David ad Ionatham** Cum gemitu conuersus ait: "Quo crimine, quaeso,  
Qua demum culpa laesi quandoque parentem,  
**80** Dic mihi, chare, tuum? Non cessat flumina, montes,  
Omnia sollicita perlustrans quaerere cura,  
Hac ut me miserum priuet per uulnera uita?  
Sanguinis ergo mei tenet illum tanta cupido,  
Cuius ego toties affeci cladibus hostes?  
**85** Haecine uirtuti soluuntur praemia nostrae?"  
**Ionathas respondet** Respondit Ionathas: "Quicquid, charissime Dauid,  
Te grauat, hoc ipsum nostram solet angere mentem.

Nulla tua in regem fuit unquam iniuria certe,  
Sed me teste merens quam maxima praemia uirtus.

**90 nota** Inuidus ast animus, quanuis benefeceris illi,  
Est tamen impatiens alienae laudis et ipsos,  
Quos anteire uidet, semper contundere gestit.  
Credo autem nostro nihil a genitore parari,  
Seu magnum id fuerit seu paruum, protinus illud  
**95** Vt mihi non pandat. Quare tibi numina iuro  
Sancta dei, quicquid moliri coeperit ille,  
Omne tibi arcanum penitus reserabo paternum."  
Talibus auditis respondit talia Daud:

**David ad Ionatham** "Credo equidem, Ionatha, nostrae discrimina uitae

**100** Esse molesta tibi teque affectare salutem  
Non mage, chare, tuam quam totis uiribus ut me  
A cunctis pariter saluum tueare periculis.  
Sed quia noster amor regi quoque notus habetur,  
Caelatam te forte uolet, tractauerit ultra

**105** Siquid triste mihi. Sed tu scrutare parentis  
Mentem, quaeso, tui. Festae uenere Calendae,  
Quum mihi post regem laeta ad conuiuia sedes  
(Vt scis) prima datur. Si me quaesiuerit ille,  
Dic ad Bethlemos propere petiisse penates,

**110** Te precibus caedente meis, solennia sacra  
Vt peragam et soler tribulum consortia praesens.  
Interea latebris recubabo tectus in illis,  
Dum referas responsa mihi. Si mitia fient,  
Pax erit, at contra subita si bile tumbent,

**115** Mors metuenda quidem. Nunc uni me tibi totum  
Atque tuae fidei committo. Tu modo cures,  
Nequando tradar regi sine more furenti

**nota** Infensoque mihi. Non aequo examine uerum  
Iudicat iratus, nescit moderamina mentis

**120** Et rationis egens nec amicis parcere nouit."

**Ionathas respondet** Tunc Ionathas manibus geminis ad sydera tensis

"Testor" ait "dium regem, me mente fideli  
Cuncta relaturum tibi, Daud, protinus illa,  
Quae bene uestigans cura studioque sagaci

**125** Nosse quidem potero sensus arcana paterni,  
Siue bonum fuerit quod norim siue sinistrum.  
At siquid simulanter agam, si fallere nitar,  
Ignifero tunc me trumat sub Tartara telo  
Omnipotens Saulisue sinat decedere dextra.

**130** Nil igitur dubites de me, charissime Daud,  
Nec de Saule quidem. Nullum tam corde latenti  
Ducere consilium poterit, quin detegat ore  
Aut moesto aut hilari. Nec prodest fingere uerbis  
Diuersum, quando mentem frons indicat ipsa.

135 Tu memor esto tui Ionathae, quum uiuere liber  
Cooperis absque metu, quum summum culmen honoris  
Ascendes populo plaudente, fauentibus astris."

Dauid Iesseides animum erexit laetatus amici  
Ingenti multaque fide et, si fata reseruant

140 Vlla sibi post haec melioris tempora sortis,  
Digna relaturum se dixit praemia tali  
Illius officio. Renouarunt foedus amoris  
Inter se nullo soluendum tempore, donec  
Carpere uitales ipsis conceditur auras.

145 **Rupes Ezel** Nubibus aeriis et caelo proxima rupes,  
Aspera muricibus, multa rimosa cauerna,  
Stabat, ab Hebreis Ezel tunc nomine dicta.  
Huius in occulto Dauid se condidit antro  
Opperiens ibi fida sui responsa sodalis.

150 **Mane** Crastina puniceis surgens Aurora quadrigis  
Aduexit iam festa nouae celeberrima lunae  
Et coepit nitidae diffundere lumina lucis  
Atque hilari clarere die. Conuiuia mensis  
Ecce parant positis, epulas et munera Bacchi

155 Apponunt famuli. Iocundo tecta tumultu  
Tota strepunt. Ipso tunc demum rege sedente,  
Ordine seruato proceres accumbere iussi,  
Quisque suum tenuere locum. Dauidica sedes  
Sola suo sessore uacat. Cur defuit ille,

160 Quaerenti regi Ionathas respondit abisse  
Ad solenne sacrum Bethlemi forte futurum.  
Hoc a se precibus multum obnixequae rogantem  
Impetrasse suis atque haec conuiuia festa,  
Absens quum fuerit, penitus seruare nequisse.

165 Tunc rex iratus respexit lumine toruo  
**Saul ad Ionatham** In Ionatham clamans: "Quid me, mea spuria proles  
Et non uera, tuis uafre uis ludere dictis?

Mene latere putas, quantum tu diligis ipsum  
Iesseo natum? Nescis, stupidissime, nescis,

170 Quanto amor exitio tibi sit quandoque futurus  
In Dauida tuus, quanta hinc infamia nostro  
Confletur regno, quod adhuc non oppetat ille?  
Certum est ut pereat, quo saluo saepe salutis  
Me piget ecce meae. Sed nec, si uixerit, ulla

175 Spes tibi regnandi post funera nostra relicta est.  
Viuum plebs sequitur, uiuenti sceptrum dabuntur,  
Et tunc priuatis tua uita sub aedibus aeuum  
Exiget infelix, si non extincta recedet.

I nunc et talem mentis male compos amicum  
180 Abde sinu oblitusque mei defende tuique!"  
Sic fatur tumidaque minax exaestuat ira.

**Ionathae fides** Quem, rogo, suspicio talis non protinus arma  
Sumere et aduersum quosuis suaderet amicos  
Bella mouere palam, tacitas uel texere fraudes?  
**185** Absalon expetiit genitorem pellere regno,  
Seba suum dominum, multos ad uulnera fratrum  
Interitumque patrum dominandi dira cupido  
Impulit et patribus iussit disperdere natos.  
At Ionathas regno antetulit Daudis amorem  
**190** Obsequioque patris, contempsit quippe pericla  
Cuncta status uitaeque suae, dum functus amici  
Officio charum curat seruare sodalem  
Mallebatque mori fidus quam uiuere fallax,  
Quam fracta regnare fide. Documenta petantur  
**195** Ex hoc rara uiris praesentibus atque futuris.  
**Comparatio** Non sic Argolicum Pylades dilexit Orestem,  
Castora non Pollux. Priscorum fabula uatum  
Tales nulla refert, Ionathae quos aequet amori.  
Ergo idem pietate sui commotus amici  
**200** Mox ita submissa respondit uoce parenti:  
**Ionathas ad Saulem** "Ne saeui, genitor! Iam tandem mitior esto  
Atque animo perpende tuo, si iustius illum  
Conseruare tibi est quam perdere." Plura paratum  
Dicere correpta genitor perterruit hasta  
**205 Saulis ira** Elataque manu furibundus pectora nati  
Transageret penitus telo festasque profuso  
Pignoris ipse sui foedaret sanguine mensas,  
Ni consessorum consurgens turba repente  
Tam dirum prohibere nefas conata fuisset,  
**210** Supplicibus blandisque patri clamoribus obstans.  
Inuitus tenuit, quem iam librauerat, ictum  
Rex Saul. Ille lares cursu properante paternos  
Linquens ora metu post se pallentia torsit  
Atque uno tantum seruo comitatus adiuit  
**215** Proxima Daudis latebris loca signaque monstrat  
Certa fugae, quae se iam dixerat esse daturum,  
**Dat signa fugae Daudi** Si tulerit casus. Tenso nam protinus arcu  
Emisit celerem neruo stridente sagittam.  
Vtque hanc ad dominum referat tellure reuulsam,  
**220** Currebat seruus, quum rursus cornua curuans  
Atque aliud iaciens telum, sed longius, ipsi  
Clamauit Ionathas puero: "Cito tolle sagittam  
Ultra te missam collectaque spicula defer.  
Pelle moras, celera!" Seruus parere paratus  
**225** Apportat iacula, arcanae sed conscia uocis  
Mens tantum Daudis erat Ionathaeque loquentis.  
Cum iaculis arcuque puer dimissus in urbem  
Nil remoratus abit. Seruato tempore Daud

Prosilit e latebris et ter procliuus adorat.  
230 Amplexi inter se lachrymas atque oscula miscent.  
Insuper haec Ionathas "Vade hinc, dulcissime Daudid,  
Vade" ait "atque uale! Firmati foedere amoris  
Sis memor et quicquid promisimus ambo uicissim  
Teste deo, nobis nostrisque nepotibus illud  
235 Vsque ratum maneat, nullo uiolabile saeclo."  
Post haec digressi. Quo uisum tutius, illo  
Daudid uertit iter Ionathasque reuersus ad urbem  
Saepe pericla sui secum meditatur amici  
Quoque magis metuit, magis hoc pia numina uotis  
240 Sollicitat certam absenti poscendo salutem.  
*Noba urbs Levitarum* Vrbs antiqua fuit sanctis data Noba Leuitis.  
*Achimelech sacerdos* Achimelecus ibi multa pietate sacerdos  
Notus erat, uenientem qui Dauida recepit.  
Miranti, quare sic incomitatus adisset  
245 Illas ipse domos tam magnus militiai  
Ductor, deuicto toties tam nobilis hoste,  
*David* Respondit Daudid, suppresso crimine duri  
Erga se Saulis, se rege iubente uenire  
Quaedam secreto speculatum partibus illis,  
250 Nec procul inde suos comites residere fatetur.  
Vtque aliquo uictu ieiunos adiuuet illos,  
Orabat, quando ista dedit responsa sacerdos:  
"Non alii, Daudid, mihi sunt hoc tempore panes  
Praeter sacratos, quibus uti lege uentantur  
255 Omnes immundi. Sed si modo tuque tuique  
Corpore purgato puraque huc mente uenitis,  
Si modo uos Veneris non turpat foeda uoluptas,  
His quoque fas uesci." Tunc David seque suosque  
Affirmat mundos: ex quo sunt urbe profecti,  
260 Nil gessisse mali, nullis amplexibus usos  
Foemineis lectumque procul fugisse iugalem.  
Ergo sublato sanctis altaribus orbes  
Triticeos iussit Daudidem ferre sacerdos.  
Discite, christicolae! Si panes sumere sanctos  
265 Non nisi mundatis licuit, nisi denique castis,  
Quanto pura magis mens uobis crimine ab omni  
Conuenit atque animus deponata labe pudicus,  
Sacratis propius quoties acceditis aris  
Mystica pransuri conuiuia? Sumitur istic  
270 Non simplex panis, non praessi pocula musti,  
Sed Christus dominus specie uelatus utraque,  
Christus homo Christusque deus, lux, gloria, uerbum  
Aetherique simul uirtus et imago parentis,  
Vnicus amborum quos spiritus efficit unum,  
275 Vt nihil hoc maius possit uel lingua profari,



Vel reperire poli se mens super astra ferendo.

**David** Praeterea Daud subiuugens Achimeleco  
Dixit: "Caede mihi telum, si forte supersit,  
Aut gladium. Nanque arma domi suspensa reliqui  
280 Festinans, urgebat enim me iussio regis."

**Achimelech** Respondit flamen uenerandus ad ista dialis:  
"Non est hic aliud nisi magni mucro Goliae,  
Quem tu terribili strauisti uerbere fundae,  
In Terebintea dum praelia ualle lacessit.

285 Ille, inquam, mucro, quo tu secuisse Gygantis  
Iam strati ualido ceruicem diceris ictu,  
Illic nunc etiam madidus iacet ecce cruore,  
Syndone contectus, uicinus uestibus illis,  
Quas humerale uocant, ad sacra litanda dicatas.

290 Illo si sit opus, tibi, Daud, caedimus illum."

**Ensis Goliae** Iesseides gladium tollens praecingitur ipso  
Thecaque eductum dextrae libramine quassat  
Et neque de Calibum talem uenisse caminis  
Assertit, Aethnea nec de fornace Cyclopum

295 **Doech Saulis mulio** Affuit hic Doech, Cisidae mulio regis,  
Aeditus in campis idola colentis Idumes,  
Ore ferus prauusque animo, uersutus et astu.  
Cuncta notat tacitus, memori quae mente reponens  
Ad regem deferre suum maturat in urbem.

300 Donec agit uirga mularum armenta uirenti  
Et clamore tonat terrens et sibilat ore,

**Dauidis fugam** Ipse fugam Daud meditatus currit ad Achim  
Publica Getheae regionis scepra tenentem,  
Scepra inimica piae Solymarum aduersaque genti.

305 Tunc uiso Dauide quidem Getheia turba  
"Hiccine" dixerunt "est Daud, saepe choreis  
Cantatus laetis, quum tota theatra sonarent:  
Rex Saul armatus bellando corpora letho  
Mille dedit, plus ipse decem dux milia Daud!"

310 His ille auditis animo suspensus et haerens  
**Comparatio** Extitit. Vt canibus subito fera cincta Lacenis,  
Quae, quo se referat, non inuenit inde cauernam  
Conspicata cauum festinans irruit antrum  
Atque illaesa manet, donec frustrata canum uis

315 Compressis abeat latratibus, illa timore  
Prodeat abiecto et saltus iam tuta pererret.  
Haud aliter Daud, populo depensus ab illo  
Dum timet, ad cautas trepidus prolabitur artes.

**Dauid simulat stultitiam** Stultitiam simulat praesenteque rege furoris

320 Signa repente dedit: Delapso corpore terram  
Verberat intorquetque artus et dentibus oris  
Stridet agens spumas, nunc huc, nunc uertitur illuc.

Erectus confusa loqui, modo scindere uestes  
Ipse suas, pecudum uarias modo fingere uoces,  
325 Ambabus manibus diuersos aedere gestus,  
Diuersos pedibus. Quicquid dementia cogit  
Desipere insanos, timor hoc Dauida coegit  
Inter Getheos Achi spectante tyranno.

Achis rex Talia qui tetrica temnens spectacula fronte  
330 "Quid mihi laruatum hunc hominem penetralibus istis  
Induxistis", ait, "quem non resipiscere tota  
Phocidos Anticyrae faceret purgamine silua,  
Non ipsi fratres Podalirius atque Melampus,  
Si cuperent ambo medicas adiungere dextras?  
335 Num desunt nobis similis ludibria monstri?  
Num fatuos tellus homines non germinat ista,  
Externos ut opus sit uobis quaerere, quorum  
Contristet miseranda meam lymphatio mentem?  
Tollite uos tandem nostris ex aedibus illum!

340 Liber eat quocunque uolet, si liber habetur,  
Quem furor exuperat, cuius uesania mentem  
Alligat inuitamque trahit sua sub iuga morbus."  
Vix ea fatus erat, cuncti depellere certant  
Limine Dauidem, sed eundem exire morantem

345 Correptum manibus sublimem extra atria portant  
Coenosoque solo effusum spretumque relinquunt.  
Talibus ille dolis inimicam fallere gentem  
Aggressus uitae manifesta pericula fugit.

Odola spelunca Mons fuit erecto contingens uertice nubes  
350 Difficilisque aditu, spelunca notus Odola,  
Quae tunc quum fugeret trepidum Dauida recepit.

Davidem amici adeunt Hoc ubi uulgatum, fraterno mota periclo  
Fratrum fida manus Bethlema sede relicta  
Accurrunt et uterque parens, simul et domus omnis.

355 Tum quicumque fuit Iesseae stirpis amicus  
Aut Saulo infensus uel rebus pressus egenis  
Siue alieno etiam contracto debitor aere,  
Omnes uno animo rupem gratanter Odolam  
Conscendunt laetique ducem Dauida sequuntur.

360 Bellatrix ea turba uirum munitaque telis  
Illum circumstat nec non et praelia poscit,  
Illi praesidio sese auxilioque futuram  
Spondet et illius iussis parere paratam.  
Imperet in medias Saulis licet ire phalanges

365 Et conferta uiris armisque irrumpere castra,  
Omne experturam contempta morte periculum.  
Et tamen hi numerum uixdum complere ualebant  
Centenum (sic fama) quater. Fiducia uires  
Vicerat atque animi tanto ductore uigebant.

370 His comitatus adit Maspatae moenia sedis  
Et Moabitarum tali rogat ore tyrannum:  
"Rex, inimica tibi fugientes uenimus arma.  
Nam Saul ipse, tui uastator maximus agri,  
Nos quoque de patriis insontes sedibus egit,  
375 Actos insequitur bello mortemque minatur.  
Nunc fidei committo tuae commendoque nostros  
Confectos lachrymis et longa aetate parentes.  
Hic maneant oro, donec, quae fata sequantur,  
Experiar, uel quo claudentur fine labores."  
380 Hinc exorato per talia uerba tyranno  
Ambos hic pariter, matremque patremque, reliquit.  
Ipse in praesidio stetit antri rupis Odolae.  
Gaddus propheta Inde tamen, uatis seruans oracula Gaddi,  
Descendit properatque tribus succedere Iudae  
385 Monstratos fines comitante cohorte suorum.  
Saltus Areth At postquam saltum directis passibus Areth  
Ingrediens illa fixit tentoria silua,  
Extemplo Saulis rumor peruenit ad aures  
Illic cum tota Dauida sedere cohorte.  
390 Ipsum autem Saulem campus Ramatheus habebat,  
Quem nemus argutum ramalibus integit umbris  
Perspicuique rigant scatebrarum aspergine fontes.  
Saul Ast illum nec amoena loci mulcere uoluptas  
Eualuit, subitam ne flaret turbidus iram  
395 Et contracta suos terreret fronte maniplos.  
Praetentans hastile manu gestuque minaci  
Saul ad suos Vsus ait: "Quid me, quid me, gens perfida, temnis  
Iesseidaeque faues? Num uobis partiet agros  
Arboribusque dabit uel consita uitibus arua  
400 Aut, quibus ipse caret, flauentia porriget aera?  
Ille audet nostris ueniens considerare terris  
Et nostrum calcare solum, vos clauditis ora,  
Ocia uos agitis muti. Quis nunciat hostem  
Aduentare meum? Quis mecum signa secutus  
405 Obuius ire parat? Noster quoque filius olli  
Blanditur refugitque suo parere parenti,  
Obsequitur seruo. Quid tandem, dicite, restat  
Iam, nisi ut hunc uestrum libeat comprehendere regem  
Et manibus uinctis inimicae tradere genti  
410 Atque autore meo me prorsus prodere nato?  
Doech Idumeus ad Saulem Talia iactanti stimulos superaddere Doech  
Coepit Idumeus flammisque adiungere flammam,  
"Quicquid habet fidei tuus," inquit "maxime regum,  
Quicquid opis Doech, debet tibi. Cernere Nobae  
415 Contigit ecce mihi, quando sacer Achimelecus,  
Consulto aetherio super hunc Dauida Tonante,

Grata illi responsa dabat uictumque petenti  
Panibus impense exhibitis obsonia iunxit  
Armaque porrexit caeso sublata Goliae.  
420 Talibus ille igitur donatus rebus abiuit.  
Inde ego discedens celeri pede castra petiui,  
Vt tibi deferrem, ne rerum nescius esses."  
Rex nimis indignans accersere protinus ipsum  
Pontificem cunctosque iubet, qui sacra litabant  
425 Ante aras Nobae. Pariter uenere uocati.  
Saul sacerdotes Nobae perdere iubet Et rex continuo "Quas ob res,  
Achimelece,  
Coniurastis" ait "me contra tuque tuique  
Cum Dauide simul, cui uictum atque arma dedistis,  
Pro quo sancta dei placastis numina uotis  
430 Supplicibus cantuque precum sacrisque litatis,  
Quum tamen ille meum quaerat peruertere regnum  
Insidiasque paret, sumptis et prouocet armis?"  
Haec quum terribili fudisset uerba profatu  
Ira recens regis, cuius non protinus ora  
435 Inficeret pallor, gelidos metus angeret artus?  
Achimelech sacerdos ad Saulem At tamen intrepida respondit uoce  
sacerdos.  
Praestabant audacem animum sine crimine mores  
Mensque dicata deo finique propinqua senectus.  
"O rex, ista quidem Daudidis crimina nobis  
440 Ignorata latent. Quicquid subuenimus illi,  
Officium praestare tibi reputauimus omnes,  
Quum gener esse tuus cunctis sciretur et esset  
Auctor saepe tui superato ex hoste triumphi.  
Arma cibosque illi dedimus, cui plura dedisse  
445 Te patet. Erratum iam facto siquid in isto est,  
Errorem prius ipse tuum fatearis oportet.  
Nam cui tu natam dederas, nos panibus illum  
Iuuimus et primo quem tu dignatus honore es,  
Militiae statuens ductorem, huic arma negare  
450 Duximus esse nefas aliquidue optare sinistrum.  
Si quicquam posthac tibi, rex, deliquerit ille,  
nota Nescimus. Venia est dignus, qui nescius errat.  
Ignoscas igitur, quando est ignoscere dignum.  
Credidimus generumque tuum turmaeque tuorum  
455 Praefectum tibi, rex, ex omni parte fidelem,  
Acceptum charumque tibi, tua iussa secutum  
Officiisque parem, quae te praestante recepit.  
Nostra quibus si forte uoles conferre, uidebis  
Esse illis collata nihil. Sin poena parata est  
460 Vlla operi nostro, me spectat mulcta. Quid isti  
Peccarunt, qui me solum de rebus agundis

Consultant semperque omnes mea iussa facessunt?  
Esse meum crimen fateor, si crimen habetur,  
Rex, iuuisse tuos (nam sic ego rebar) amicos."  
**465 Saul** Effera mens Saulis nulla ratione mouetur,  
Vt quicquam coepta desistere uellet ab ira  
Aut uerbis praestare fidem. "Nil proficis" inquit  
"Perfidiam compto nimium sermone tegendo.  
Vna omnes uos culpa reos declarat. An ullus  
**470** Esse fugae potuit Daudis nescius ipsum  
Auxilii armorumque uidens et panis egentem?  
Nemo fuit uestrum, qui tunc uenisse referret  
Illum, quin etiam uictu iuuistis et armis.  
Vos igitur, lateris, iubeo, custodia nostri,  
**475** Hos omnes uestro pariter disperdere ferro  
Perfidiaeque scelus meritis distringere poenis!"  
Nemo sacerdotes fuit ausus tangere sanctos  
Vimque inferre piis. Praeessis ad pectora palmis  
Immoti stabant, dum malunt regis iniquo  
**480** Contempto imperio certae succumbere morti  
Quam maculare suas illorum sanguine dextras.  
**Doech impius** Solus barbaricae damnatus crimine Doech  
Impietatis ait: "Quid multorum arma requiris,  
O rex? Ecce tuus quam fido pectore Doech  
**485** Scit seruire tibi, facto testabitur isto."  
Nec mora, districtum crebris rotat ictibus ensem,  
Nunc hunc, nunc illum, lethali uulnere cunctos  
Sternit humi. Riui currunt per prata cruoris.  
Corpora fusa iacent, caesos mors occupat artus,  
**490** Candida sanguineo squalent tegumenta fluore.  
**Comparatio** Ac ueluti, quem multa fames stimulauit, hiantes  
Extendit rictus lupus et nemus omne pererrat  
Pascentesque uidens pecudes furit, irruit, urget  
Ballantumque gregem mactat manditque cruentus.  
**495** Donec ieiunam laceratis carnibus aluum  
Compleat, hinc saturo montana cubilia uentre  
Iam lassus repetit, sic dirus alumnus Idumes  
In iugulos saeuire sacros non destitit, usque  
Dum pia crudeli prostrasset corpora letho  
**500** Octogena uirum numero superaddita quinque.  
Sed neque tot Saulis sedata est caedibus ira.  
Iussit adhuc rabidus Nobae disperdere plebem  
Non aetatis agens, nec agens discrimina sexus.  
Nec pecori parcens. Animantia sustulit uno  
**505** Cuncta die. Nemo de strage superfuit ista  
**Abiathar filius Achimelech** Praeter natorum iugulati antistitis unum  
Effugio elapsus, proprio qui nomine dictus  
Abiatharus erat. Venit hic clademque nefandam

Profusis moerens lachrymis exponere coepit  
510 Daudi et cunctis Daudica signa secutis.  
Haud siccis oculis scelus hoc Iesseius heros  
Audiit et tristi respondit talia uoce:  
"Nobae ego Doechem coram quum stare uiderem  
Et tacitum spectare tui pia facta parentis,  
515 'Hic referet' dixi 'Cisidae cuncta tyranno.'  
Sed quisnam tantae radix et causa ruinae,  
Abiathare, fuit me praeter? Criminis huius  
Autor ego. Quanquam manifesta pericula uitae  
Poscere compulerint, quae tunc donata recepi  
520 Quaeque reposta meae menti, non eximet ulla  
Obliuio, nec longa situ squalente uetustas  
Obducet meque immemorem nulla arguet aetas.  
Tu maneat mecum! Longe timor omnis abesto,  
Nil dubites! Aut nostra manus te proteget, aut hanc  
525 Si quisquam uitam mihi tollet, tollet et idem,  
Abiathare, tuam. Sors ambos una manebit."  
Ille igitur moestos ex hoc lenire dolores  
Incipit atque suis melius confidere rebus  
Nec penitus miserum se credere castraque nusquam  
530 Linqere Daudis uel se diuertere ab ipso.

## <Liber IV>

### ARGUMENTVM

Regum lib. 1, cap. XXIII. Ceilla a Palestinis obsidetur. A Dauide liberatur. Saul eum persequi parat. Ille fugiens uenit in Ziph. A Zipheis proditur. A Saule obsidetur, sed quum audisset Saul Palestinos irruisse in regnum, dimisso Dauide recessit. XXIII. Daud uenit in Engadi. Latet in spelunca. In quam Sauli diuertenti clam accedens oram clamidis abscidit. Post abeuntem egressus clamauit. Fide eius comperta Saul placatus abiit. XXV. Samuel moritur. Daud uenit in Pharan. In Nabalem ingratum animaduertere uolebat, ab uxore eius Abigaile placatus destitit.

### Lib. IIII

Vrbs Ceilla Interea muros, turres et tecta Ceillae  
Turba Palaestinae subsidens Marte premebat.  
Audiit hoc Daud nec mente quiescere quiuit,

Vt, quos ipse suis toties deuicerat armis,  
5 Oppugnare tribus hi pergant oppida Iudae,  
In quibus una fuit urbs nobilis ista Ceilla,  
Consuluitque deum, nunquid succurrere fessis  
Auxilioque iuuare pios se uellet. Amica  
Persensit responsa dari. Tamen arma iuuentus  
10 Sat fore si Saulis possint uitare fremebant,  
Nedum bello alias pugnaque lacescere gentes  
Vt satis esse queant. Sed contra talia Dauid  
Dauid ad suos "Quid timidi musatis?" ait "Victoria uobis  
Promissis firmata dei est, cui terra polusque  
15 Obsequium praestant, diuisis aequoris undis  
Qui siccum monstrauit iter populumque fidelem  
Inter terribiles adaperto tramite fluctus  
Eduxit tutaque potens regione locauit.  
Hostiles autem currus aciemque secutam  
20 Obruit effusis laxati gurgitis undis.  
Contulit hanc nostris patribus deus ipse salutem,  
Non uis ulla uirum, non multae copia gentis.  
Et dubitatis adhuc illius fidere uerbis,  
Qui nunquam fallit, cuius ualet omnia uirtus?  
25 En iterum responsa petam, quo certius istud,  
Non mente ancipiti, quod diximus, accipiatis.  
Indue sacrati niueum uelaminis ephot,  
Vt rursus consulta petas rursusque preceris,  
Abiathare, deum, quo nostris mensque fidesque  
30 Confirmata magis iam gentis castra prophanae  
Inuasisse uelit cupiantque leuare Ceillam  
Obsidione graui et tanto seruare periculo.  
Consuluisse semel nostrum fuit istud utrique,  
Abiathare, satis, dubiae succurrere plebi  
35 Est opus, ignauum pellant ut corda timorem  
Vulgatisque iterum redeant audacia fatis."  
Quaeritur ergo iterum, quae sit sententia magni  
Immensique dei super hoc molimine rerum,  
Et primae similis uox est audita secunda:  
40 "Vade, Palestinos prompto certamine, Dauid,  
Aggredere et muros pauidae defende Ceillae!  
Nil dubita: nostro protectus numine uinces."  
Dauid liberat Ceillam obsidione Pollicitis animi succensi talibus, arma  
Expediunt cunctique simul Dauida sequuntur.  
45 Moxque Palestinas aggressi Marte cohortes  
Fundunt atque fugant, fugientum terga uerutis  
Transfigunt crebrisque secant simul ictibus ensis.  
Et fragor et clamor, gemitus, formido, tumultus  
Hic illic sonitu uario miscetur in unum.  
50 Ante omnes Dauid Getheo uulnera ferro

Ingeminat: nunc hunc, nunc illum sternit oberrans.  
Militis atque ducis peragebat munia, forti  
Tractans arma manu uitansque pericla sagaci  
Consilio segnesque suis hortatibus urgens.

55 Hostibus euersis rediit portasque Ceillae  
Ingressus magno seruatae plebis et urbis  
Excipitur plausu laetusque hac sede quieuit.  
Tantae autem laudis uacuas uaga fama per auras  
Spargitur et Saulem peruenit ad usque tyrannum.

60 Saul in Dauidem Ex hoc ille ratus sibi iam Dauide potiri  
Esse datum dixit: "Cauea capietur in illa  
Iam male tutus aper. Laqueis nunc, improbe Dauid,  
Impedire meis: inclusus moenibus istis  
Iam nusquam effugies. Tanti uictoria stabit

65 Ista tibi, ut malles pugna superatus abisse  
Quam sedisse loco, de quo proieceris hostem."  
Extemplo acciri toto iubet agmina regno,  
Vt quisquis ferre arma potest, mora nulla, secutus  
Iussa ducis, properet circumdare lata Ceillae

70 Moenia, Dauidi nullum praebere latenti  
Effugium pariterque suis intendere captis  
Vincula militibus, subeant durissima turpis  
Vt iuga seruitii, tanto ductore perempto.  
Has tantas talesque minas tantosque paratus

75 Persensit Dauid, propriis neque uiribus ausus  
Fidere, diuinos monitus inquirere coepit  
Supplex cum sacro sic orans Abiatharo:

Dauid ad deum "Summe deus, quem mente colo, cui blandior uni  
Saepe tuum celebrans iterato carmine numen,

80 Saepe tuas onerans caesis animalibus aras,  
Da seruo responsa tuo, maneamne Ceillae  
An fugiam, totis quoniam modo uiribus illam  
Oppugnare parat fractisque euertere muris  
Rex Saul iratus nostroque infensus honori."

85 Tunc delapsa polo mortales contigit aures  
Vox diuina monens: "Terra decedere ab ista  
Ne tardes, Dauid. Si manseris, ipse Ceillam  
Obsidione premet Cisides, te simul illi  
Offeret infidae captum uis impia gentis."

90 Ergo discedens illinc Iesseius heros  
Sexcentis comitatus abit belloque probatis  
Militibus, loca sola uagus collesque supinos  
Aruaque nota feris incerta sede peragrat  
Aua quaeque petens, nequando uiribus impar

95 Ingenti occurrat Saulis ualidaeque cateruae.  
Quumque illum dumeta procul Ziphea tenerent,

Ionathas ad Dauidem Aduenit Ionathas et sic solatur amicum:



"Ne dubita, Daud! Diuino numine tectus  
Eripiere malis uitaeque pericula uinces.  
100 Te manet eximium regni diadema superbi  
Israhelitarum. Ionathas tibi honore secundus  
Tunc erit iste tuus, si uiuet." Dixit, et ipse  
Dicta hilari Daud firmavit protinus ore  
Daud respondet Amplexusque illum "Regno mihi charior" inquit  
105 "Semper eris. Nihil orbis habet, quod Daud amori  
Scit praeferre tuo, cunctis tu dulcior unus  
Deliciis. Sine te (mihi crede) et uiuere acerbum  
Et regnare foret. Quoties te cernere nostris  
Concessum est oculis, quoties affarier ori.  
110 Perpetuae labor iste fugae releuatur et ipsa,  
Ipsa meam cessant terrere pericula mentem."  
Talibus alloquiis inter se mutua iungunt  
Oscula et inuitos digressus separat. Ibat  
Suspirans Ionathas, flens Daud mansit in illo,  
115 Quo sese iunxere, loco, praesentia quippe  
Ambos reddebat laetos, absentia moestos.  
Ziphei Prodidit interea gens impia Zipheorum  
Daudis latebras Sauli, "Rex inclyte," dicunt  
"En nostris sedere locis Daudque cohorsque,  
120 En iuga summa tenent nemorosae rupis Achilae.  
Illo si totum pariter conuerteris agmen,  
In manibus tunc illa tuis tibi tradere castra  
Spondemus, capto quo iam Dauide quiescas."  
Haec postquam promissa, suis aequalia uotis,  
125 Saul Rex Saul audisset, laeto sic rettulit ore:  
"Summas, Ziphei, uestro pro munere grates  
Non ingratus ago uobis, habeo quoque summas,  
Quod tam sollicito mea uota fauore iuuatis.  
Ite modo, quocumque solo consederit ille,  
130 Inspicite, ut certum quum norim, protinus illo  
Accelerem et totum circumdem milite campum,  
Nequa fugae clausis pateat uia. Condere si se  
Sub tellure uolent, scrutabor uiscera terrae.  
Inferius trusi Stygia si sede latebunt,  
135 Erruet inde illos animi solertia nostri."  
Illi ergo patrias repetito tramite sedes  
Contendunt regisque feri mandata facessunt.  
Tunc autem Dauida ducem fidamque cohortem  
Maonis deserta Post Iesimutheos fines deserta Maonis,  
140 Altorum nemorum generosi montis, habebant.  
Id referunt regi post explorata reuersi  
Ziphei loca multa quidem regionis opimae.  
Rex uero subito collecto milite campos  
Transgressus, montem peruenit ad usque Maonem

145 Instructaque acie coepit conscendere collem,  
Ipsum cum sociis qui tunc Dauida tenebat.  
Cui iam nulla fugae fuerat uia, nulla salutis  
Spes nisi quam solam diuino fretus habebat  
Auxilio. Quare geminas ad sydera palmas

150 Sustulit et tali numen cum uoce precatur:

*Dauid ad deum* "Maxime terrarum rector caelique profundi,  
Ad te confugio, te uoto supplice posco.

Insontem defende, precor. Quam Saulis iniquo  
Saepe premar bello, nosti. Nunc ecce propinquat,

155 Enecet ut captos crudelis meque meosque.

A tam praesenti tu nos tueare periculo!

Illa tuum toties quae texit dextera seruum,

Nunc potius cunctata nihil nos liberet isto

Ciuii exitio. Nam multo est durius armis

160 Cognatae gentis quam externo Marte perire."

Vix haec aediderat, quum Saulica substitit ala

Colleque dimisso retro caessere phalanges

*Comparatio* Haud secus ac puppes, quae uentis uela secundis

Plena dabant, uersis repetunt mox aequora proris

165 Iam sulcata suis aduersa flante procella.

*Saul* Cisides etenim montanum scandere culmen

Dum properat, subitus percussit nuncius aures:

Arua Palestino uastari milite regni

Tota sui, uillas incendi, rura colonis

170 Priuari pecudumque greges armentaque uerti

In praedam, magnis turbari cuncta rapinis.

Vocibus his excitus abit tutumque reliquit

Iesseiden comitesque simul, diuina repente

Quos omnes tali seruauit gratia casu.

175 Ipse deo grates egit pro munere Dauid

*Petra diuidens dicta* Et soluit sua uota libens. Locus inde salutis

Disiungentis habet felicia nomina Petrae,

Rex Superum miserans quoniam disiunxit utrosque:

Istos, ne pereant, illos, ne sanguine fratrum

180 Inficiant dextras atque hoc se crimine damnent.

Ergo nocere tibi nequando possit iniquus,

Iustitiam serua, recti ne desere callem,

In solo spem pone deo. Si firmus in isto

Stabis proposito, summa repleberis olim

185 Laetitia multumque malos tolerasse iuuabit.

Quum Petra e caelo tandem descenderit illa

Discernens mites agnos hedosque petulcos

Hosque uocans sursum, quo iam caelestia carpant

Pabula et aeternae degustent gaudia uitae,

190 Ast illos sceleris conuictos atque prophanas

Mentis damnatos ad Tartara tristia trudens,

Acribus ut pensent commissa piacula poenis.  
Post haec Iesseides liquit deserta Maonis,  
Cum sociis rapidum per plana et pascua gressum  
195 Engadi Ad loca tuta ferens Engadi, balsama raro  
Hic ubi odore fragrant et acuta cuspidis lignis  
Incisis manant diuini unguenta liquoris.  
Iamque Palestinis tota regione fugatis  
Rex Saul et praeda depulso ex hoste redempta  
200 Quaesitum Dauida redit tria milia secum  
Israhelitarum bello non segnia ducens.  
Engadi penetrat, montana atque auia quaeque  
Scrutatur uallesque cauas saltusque profundos  
Aeriasque simul rupes. Tunc forte grauatus  
205 Pleno uentre, cauum solus diuertit in antrum  
Exonerare uolens digestae pondera coenae.  
Ante illum fugiens speluncam Daudid eandem  
Intrarat tacitusque sua cum plebe sedebat.  
De tenebris speculata uirum magis intima turba,  
210 Protinus ad patulas Dauidis murmurat aures,  
Pressa illi sed uoce loquens humilique susurro:  
"Ecce dies uenit uatum promissa relatu  
Responsisque dei. Vis, Daudid, protinus istum  
Tradamus letho, quem solum sanguinis urget  
215 Tanta sitis nostri nullo unquam crimine laesum?  
Nunc, nunc nos omni solui permitte periculo  
Hosteque sublato tibi debita sceptrum rependi."  
Daudid non permisit laedi Saulem sibi infensum Irruere in regem stricto  
mucrone paratos  
Iesseides uetuit dicens: "Scelus istud abesto  
220 Hac a mente procul, diuino chrismate inunctum  
Vt iubeam uiolare uirum. Vos ponite tela  
Et cohibete manus! Sortem concedite nostram  
Fatis ire suis. Cessabunt ista pericla,  
Quum uolet ipse deus. Nobis quoque sceptrum dabuntur."  
225 Sic ait et tacitus suspensis passibus ibat  
Ad regem iam iamque manens post terga sedentis  
Illius apprensam clamidis disecuit oram.  
Et Saul ignarus facti tenebrosa relinquens  
Antra suos adiit coeptamque per ardua tendit  
230 Ire uiam furiis ardens stimulatus et ira  
In Dauida ducem nec adhuc infensus in illum  
Infestusque minus. Post regem Daudid et ipse  
Cum sociis latebras exit properanter opacas  
Et cito praerupti superat latera ardua montis,  
235 Vnde inimica queat sublimior ipse tueri  
Agmina et irati regis lenire ferocem  
Elatumque animum submissae uoce loquellae.

Ergo illum intento gradiens clamore uocauit  
Atque ex aduerso spectantem pronus adorans  
240 **Dauid ad Saulem** Blandius affatur: "Quid me, rex magne,  
benignam  
Dans delatorum uerbis mendacibus aurem,  
Persequeris censesque tuum tam credulus hostem?  
Proptereaue meae laqueos intendere uitae,  
Heu, nunquam cessas et aperto quaerere bello,  
245 Me miserum ut perimas, cui dudum certa potestas  
Te data perdendi fuerat, sed sanguine dextram  
Hanc scelerare tuo et tantum committere crimen  
Nec uolo nec uolui. satis est potuisse uideri.  
Aspice, sitne tuae decisa haec fimbria uestis.  
250 Quam mea nunc elata manus tibi monstrat et offert.  
Ac perpende simul, siquid molitur iniquum,  
Siquid agit prauum tuus hic post talia seruus.  
Quem tu quam iustis disperdere niteris armis.  
Is qui cuncta uidet. Superum rex, ipse uidebit.  
255 Ipse boreae mentis tutor uindexque malignae."  
**Saul** Obstupuit mutilata uidens sua tegmina limbo  
Cisides animumque pium miratur in illo,  
Insidiatori potuit qui parcere uitae  
Ipse suae, iustam tanto quum posset ab hoste  
260 Expetiisse necem seque excussisse periclo.  
Hinc uictus pietate uiri certantis honestis  
Contra arma officiis, postremo nullius unquam  
Offensae memoris, sed et indulgere parati  
Illis omne bonum, per quos non digna recaepit.  
265 **Saul ad Dauidem** Haec responsa dabat: "Fateor, mitissime Dauid,  
Immerito tibi me commotum. Tu autor honoris  
Saepe mei nostrique simul tu gloria regni.  
Hostis ego ipse tuus. Fateor me mente proterua  
Ingrataque tuo nimis inuidisse decori.  
270 Et siquando dolos timui, nunc certa fidelis  
Constantisque animi nos erga signa dedisti.  
Ecquisnam quandoque sibi fera bella mouentem  
Non periisse semel mauult quam uiuere semper?  
Pro tanta pietate deus tibi praemia digna  
275 Conferat accipiatque preces et uota secundet.  
Sed quum etiam regni tibi sit caessurus habenas  
Imperiique uices, ut plebs populusque loquuntur  
Vtque canunt uates, haec pacis foedera sunt:  
Numina sancta uolo iures mihi, germina nostrae  
280 Gentis ne tollas et stirpem in saecula serues."  
**Dauid** Annuit huic pacto Dauid. Mox pace peracta  
Ipse cohorsque hilares Engadi plana relinquunt  
Munitosque adeunt naturae munere colles.

Cumque sua Solymas Cisides gente petiuit.  
285 **Samuel moritur** Interea Samuel uates Helcanius aeger  
Deposuit fragilem carnis mortalis amictum.  
Exanimes artus patrio clausere sepulchro  
Turba Levitarum tristis Ramatheaque plebes.  
Stabant ingenti confixi corda dolore  
290 Et lachrymis perfusi oculos, lamenta sonoro  
Edebant gemitu pro tanti morte prophetae.  
Vtque etiam praesens et postera nosceret aetas,  
In quibus ossa locis illius tecta iacerent,  
Marmoream scalptis ornarunt uersibus urnam:  
295 **Epitaphium** "Hic situs est Samuel, uenturae conscia sortis  
Cuius lingua fuit, sacer ordo, candida uita."  
**Dauid** Tunc autem Dauid castro uicina Pharano  
Arua tenens didicit Nabalis ouilia lana  
Expoliata sua seruis tondentibus illa  
300 **Mons Carmelus** In caulis, Carmele, tuis, qui proximus urbi  
Chebronae insurgens magno petis aethera dorso  
Palmiferumque caput sub caeli nubila condis.  
**Nabal diues** Iste Maonis erat Nabal ditissimus urbis,  
Praeter opes alias fuerant cui mille capellae,  
305 Grex ouium triplo maior, nec paruus equarum  
Atque boum numerus. Sed tantum mentis egenus  
Ipse fuit, quantum fortunae rebus abundans.  
Ingenio durus, teter, cerebrosus et asper,  
Moribus incultis et in omni sordidus actu.  
310 Huius laeta sedens olim prope pascua Dauid  
Quadrupedes tutatus erat. Custode sub ipso  
Non armenta latro tetigit, non Martius ullas  
Carpsit oues lupus, et pecudes quot pastor agebat  
315 Intra septa domus iam Sole cadente locabat.  
**Dauid** Iesseides ideo tali sibi munere uinctum  
Nabalem petiit modici subsidia uictus.  
Qui missi fuerant, illi mandata fideli  
**Dauidis nuncii ad Nabalem** Ore recensentes dixerunt: "Optime Nabal,  
320 Teque tuamque domum notus certamine Dauid  
Dux noster saluere iubet mittitque rogatum,  
Dum praestas operam tonsurae laetus ouili  
Festaque concelebras epulis conuiuia raris,  
De tantis opibus, tibi quas diuina fauendo  
325 Indulsit pietas, aliquid digneris amico  
Impartire tuo, cui per deserta uaganti  
Deficere humanae iam coepit copia frugis,  
Ille tuas defendit oues, dum castra teneret  
Istis fixa locis quondam. Non defuit hedus  
330 De gregibus, non agna tuis; pecuaria nemo

Diripere est ausus nec furto abducere. Miles  
Innocuas tenuit, te non offendere iussus,  
Ipse manus et quae tua sunt intacta reliquit.  
His illum obsequiis siquid meruisse fateris,  
**335 nota** Nunc quocunque libet dono testare. Merenti  
Nam scis esse nefas si gratia nulla repensa est.  
Profuit ille tuis et adhuc prodesse paratus  
Est rebus. Tali quid te tribuisse pigebit?  
Mittas magna licet, maius referetur ab ipso,  
**340** Hebrei quem sceptrum manent insignia regni,  
Si non uana sacri pandunt responsa prophetae."  
Talia dicentes transuerso lumine Nabal  
**nota** Spectabat tacitus. Neque enim cum mente quieta,  
Siquid eum poscas, potis est consistere auarus.  
**345** Has igitur fudit turbato pectore uoces:  
**Nabal respondet** "Quid mihi cum nato Iessei? Scilicet illo  
Huc fugiente pecus tutum fuit. Ergo uerentur  
Praedones seruum, qui nunc deserta peragrat  
Et pauidus domino quaerit latitare relicto.  
**350** Ergo alimenta meis tollam tonsoribus, illum  
Ut pascam, atque homines, quorum nec nomina norim,  
Nec genus aut patriam, saturem modo carnibus istis,  
Quas nostris iussi pueris famulisque parari?  
Regnabit, dicunt, Dauid. Sed dicite: Nabal,  
**355** Progenies magni (si nescis) clara Calephi,  
Ut regnes optat felicius et sua cesses  
Appetere esuriens." Haec fatus compulit illos  
Nullo donatos ingratus munere abire.  
Ast ubi se uidit despectum probraque passum  
**360** Mordacisque gulae conuitia Dauid ab illo,  
Cui bona contulerat, quem sumptis texerat armis,  
Extemplo iratus decreuit sumere tristes,  
Sed forsitan meritas pro tanto crimine poenas.  
Feruidus ira igitur tacuit. Mox ore soluto  
**365** Ad socios conuersus ait: "Fidissima nostrae  
**Dauid in Nabalem ingratum** Robora militiae, quo munere uestra rependit  
Obsequia ingratus Nabal, iam cernitis omnes.  
Ecce preces nostras despexit et ore procaci  
Vos uestrumque ducem carpsit temerarius ille  
**370** Haud minus audenter quam si uilissima cuncti  
Mancipia essemus seu quicquam uilius illis:  
Non noti uirtute uiri, non hoste timendi  
Iam toties uicto. Qui simus, nouerit ille  
Per sceleris poenas. Nostro delebere, Nabal,  
**375** Quos temnis, ferro. Dirae petulantia linguae  
Et tua tota domus tecum subuersa peribit  
Et pecus omne simul." Post haec accingit acuto

Ense latus reliquosque iubet iam tela parare  
Seque sequi, scelus ingrati ut castiget, euntem.

380 Turba quater centena virum sua terga secuta est,  
Omnes instructi ad pugnam et certare parati,  
Bis quoque centenis ad castra tuenda relictis.

Interea quidam Nabalis forte bubulcus  
Vxori ipsius rem defert, qualiter ille

385 In Dauida ducem iactarit probra, ministris  
Illius insultans paucasque petentibus escas  
Vt dederit celerem tumido clamore repulsam.

Inde, nisi ipsa nihil prorsus cunctata sagaci  
Consilio occurrat, speret domuique uiroque

390 Et magnam cunctis unius crimine cladem.

*Abigail Nabalis uxor* Abigail fuerat mulieri nomen. Honestas

Et pudor et placidae tranquilla modestia mentis  
Eius erant comites, oris quoque iuncta decori  
Plurima facundae fulgebat gratia linguae.

395 Ergo maritalis manifesta insania facti  
Angere cordatae mulieris pectora coepit.

Illo inconsulto cum multis obuia donis  
Dauidi ire parat. Pueros praecedere iussit,  
Ipsa sedens dorso post illos ibat aselli.

400 Dona fuere quidem raptim pro tempore sumpta:

Bis centena Ceres, Cereris cum panibus utres  
Hyrcini gemini Baccheo munere pleni,  
Cum ueribus quernis ueruecum corpora quinque  
Pinguia, iamdudum calidis assata caminis

405 Et totidem satis demensae uasa polentae  
Vuaque passa simul, centum distincta maniplus,  
Bis centum massae caricarum. Talia cuncta  
Ante illam serui Archadicis imposta caballis  
Festini urgebant, quum montis plana propinqui

410 Iungentes molli cernunt descendere cliuo

Armatam iuuenum turmam ductore feroci,  
Tendentum celeri uelut in certamina cursu.

Agnoscunt Dauida ducem. Tunc protinus ipsa

*Abigail placat Dauidem* Desilit Abigail, quo iam ferebatur, asello

415 Et uenerata uirum uenientem prona salutat.

Sternitur ante pedes miserando prouida gestu  
Flebilibusque modis atque illum talibus orat:

"Inclyte dux Dauid, Superum qui rege fauente  
Bella geris gentemque domas idola colentem,

420 Te prostrata rogo, perpendas quam sit iniquum,

Vt multi insontes unius crimine stulti

Plectantur culpamque luat gens inscia culpae.

Illius en ego sum Nabalis flebilis uxor,

Dementis stupidique uiri, uecordia cuius

425 Te bene de nobis meritum proscindere uerbis  
Ausa est indignis. Quid enim non improbus audet  
Insignisque furor? Famulos quod miseris illi,  
Nosse ante haud potui atque ingratae audacia mentis  
Me certe latuit, post factum talia noui.

430 Tunc absens etenim fueram doluique fuisse  
Absentem, nam tale nihil contingeret olim.  
Ipsa ego cuncta tuis curassem congrua uotis,  
Officio poscente tuo. Nam plurima semper,  
Quum multa exoluam, tibi me debere fatebor.

435 Quicquid habemus enim, nostra est possessio, munus  
Sed, dux magne, tuum. Tamen est pro munere tanto  
Facta offensa tibi. Facta est, iam uertere nemo,  
Ne sit facta, potest. Qui fecit, non bene sanae  
Mentis erat. Nunc ipsa tuis oransque precansque

440 Aduoluor pedibus. Veniam mihi criminis huius  
Ancillae concede tuae dignareque dona  
Accipere haec oblata tibi, quae nempe fatemur  
Inferiora tuis in nos, dux optime, factis,  
Non spernenda tamen, quum nos atque omnia nostra

445 His adiuncta tuos tibi iam seruentur in usus.  
Quos ita deuinctos retines si perdere pergas,  
Ipsi cumque ipsis tua iam benefacta peribunt.  
Sin quoque peccantem intactum dimittere malis  
Quam punire, magis placidae clauentia mentis

450 Addita peccanti forsitan memorabitur olim  
Quam prius insonti collatum munus amico.  
Hoc tibi cum multis commune est, rarius illud,  
Vt quisquam laesus iusta se temperet ira  
Et facile exhibeat ueniam poscentibus. Ergo

455 Adde tuis cumulum tam multis laudibus istum,  
Vt nihil his desit. Quisquis nunc inuidet, illum  
Esse tibi infestum iam tandem, credo, pudebit  
Incipietque tibi mutata mente fauere,  
Quum per cunctorum te ferri uiderit ora,

460 Non pietate minus quam forti pectore clarum."  
Protinus ira furens blanda lenita loquella  
In Dauide fuit. Verborum sensibus ille  
Ornatuque simul captus formaeque decore  
Placatur. Precibus uenia est concessa petentis

465 Et promissa fides, et laeto munera uultu  
Cuncta accepta quidem Dauidi, non quia rebus  
Talibus indiguit, dum per loca sola vagatur  
Cum tot plebe uirum, sed ne delata refutans  
Credatur coeptum nondum posuisse rigorem.

470 Atque his astanti respondens Abigaili  
Dauid ad Abigailem Exhilaratus ait: "Summas ego debeo grates



Aetherio primum, qui temperat omnia, regi,  
Summas deinde tibi. Dedit ille repente profectis  
Hic hodie ut fieres armatis obuia nobis.  
475 Tu dulci eloquio uerbisque potentibus oris  
Placasti ingentem nostris in cordibus iram,  
Qua succensus ego petulantis crimina linguae  
Et nimis ingratae scelerata obliuia mentis  
In Nabale tuo properabam protinus ultum.  
480 Hanc, hanc illius foedassem sanguine dextram!  
Sed neque solius contentus caede ruissem  
In genus omne suum pariter grassanteque ferro  
Orba domus dominum lugeret, pignora, seruos  
Et mutas pecudes, catulis, mihi crede, nec ipsis  
485 Parcere mentis erat. Tibi nunc ea cuncta remitto,  
Cedo cuncta tibi. Tali tua munera lege  
Insuper accipio, si me mea fata sequentur,  
Vt quandoque tibi sim multo plura daturus.  
Nunc segura uale, cuius sapientia rara,  
490 Praestans eloquium, mens mitis teque tuosque  
A tam uicinae reuocauit limine mortis."  
Haec ubi dicta, pius conuerso milite Daud  
Ad sua castra redit gaudens, quod sanguinis expers  
Innocuasque manus pacataque tela referret.  
495 Ipsa quoque Abigail Carmeli pascua montis  
Magnorum compos uotorum laeta reuisit.

## <Liber V>

### ARGUMENTVM

Regum lib. 1, cap. XXV. Abigail domum reuersa Nabalem ebrium offendit. Quo mortuo Daud eam sibi copulat. Alteram etiam duxit Achinoem. Saul Micholam tradit Phalto. XXVI. Zipheis prodentibus Daudem obsidet in colle Achilae. Daud noctu ingressus eius tentorium, tulit cyphum et hastam. Quam ob rem Saul placatus abiit. XXVII. Daud fugit in Palestinam ad Achim regem. Habitat in Sicelech. Praedatur gentiles et fingit se praedari Israhelitas. XXVIII. Palestini cogunt exercitum in Saulem. Saul propius castrametatus timuit. Dimissis castris abiit consultum phitonissam de euentu belli. Samuel apparens praedixit aduersa. Ille prae dolore uix exoratus, ut cibum caperet, nocte reuersus est in castra.

### Lib. V

**Meridies** Scandebat medium caeli Sol aureus orbem  
Feruentemque magis spirabant naribus ignem  
Pyrous rapidusque Phlegon et lucis Eous  
Foecundus plenusque suis ardoribus Aethon,  
5 Quando tecta domus Nabalis sedula coniux  
Succedens uidit dapibus conuiuia largis  
Feruere et impletis undantia uina lagenis  
Afferri pariter positis longo ordine mensis.

Atria tota strepunt istis famulantibus, illis  
10 Nunc hoc, nunc illud poscentibus, omnis et ipsa  
Plebs recubans uario tempus sermone trahebat.  
Risusque et cantus creberque per ora susurrus  
Fertur et elatae rumpunt laquearia uoces.

**Comparatio** Qualiter in magno pecudum grege saepe ruditus

15 Mugitusque sonat ballatu mixtus ouili  
Grunituque suum, tum uox confusa canore  
Diuerso patulas hominum circumtonat aures,  
Talis ibi per tota ruens triclinia clamor  
Murmure multiplici latas repleuerat aedis.

20 **Nabal ebrius** Inter conuiuas Nabalem forte maritum  
Cernit, qui manibus plenum cratera duabus  
Sustulit amplexus labrisque admouit et ore  
Exhaustum cupido totum consumpsit hiatum.  
Et tunc illa quidem deprendit tam magis ipsum

25 Incaluisse aliis quanto maiore bibendi  
Libertate solet dominus quam seruulus uti.  
Potus Nabal erat, perplexo uerba palato  
Dimidiata refert non blesae crimine linguae,  
Sed uini uitio uenas inflante madentes.

30 Ipse idem nescitque loqui nescitque tacere.  
Murmurat ore, manu gestit, conuiuet ocellis.  
Et nisi quod mensis innixus pectore prono  
Ebrius accumbat. pedibus consistere rectis  
Non bene sufficeret. Talem quum prouida coniux

35 **nota** Vidisset, siluit. Quid enim suadere loquendo  
Capto mente potest aliquis uel dicere, quod non  
Ventus et instabiles properent auferre procellae?  
Ast ubi iam noctis conuiuia laeta secutae  
Alta quies crapulam digessit mensque nitere

40 Coepta nitente die est, uerbis aggressa maritum  
Abigail narrat quae gesserat. Ille periculo  
Territus audito trepidos uix sustinet artus.  
Inde stupens nec adhuc meritas euadere poenas

**Comparatio** Posse timet. Veluti mediis qui fluctibus olim

45 Iactatum fragili meminit se forte carina,  
Quos uix effugit fluctus, exhorret eosdem

Nec potis est illos animo memorare quieto.  
Liber erat poena Daudis munere Nabal.  
Sed mulctante deo stultae commissa loquellae  
50 Et benefactori mala probra relata, repentī  
Post bis quinque dies rapitur sub Tartara letho.  
Morte luisse scelus Nabalem nuncius aures  
Protinus impleuit Daudis. Sustulit ille  
Ad caelum geminas gemino cum lumine palmas  
55 **Daud ad deum** Et uoce intenta "Tibi, mundi maxime rector,  
Grates" inquit "ago. Tu iusto facta proterui  
Ingratique uiri poenarum uerbere pulsas  
Nec potes ipse pati, collata iniuria seruis  
Vt sit inulta tuis. Tu me decaedere ab ira  
60 Curasti incoepa, ne laesus laedere pergam,  
Sed magis ignoscam. Nunc te dixisse recordor:  
,Caedite uindictam mihimet, punire malignos  
Iuris quippe mei est dignisque indigna ferentes  
Accumulare bonis.' Tu uindex, tu pater idem  
65 Attollens humiles semper subdensque superbos,  
Da quoque in infestos ut sim placabilis hostes.  
Vt semper uirtute tua stabilitus et illos  
Euitare queam, simul et me reddere dignum  
Promissis in regna tuis sceptroque potiri."  
70 Discessere polo nubes aethraque relucens  
Syderea caelum diuini prospera nutus  
Signa dedit, facto quum Daud fine quieuit.  
Inde subit mentem formae decor Abigailis  
Submissusque animus prudensque loquentia linguae  
75 Nec facunda minus, quanta curaque fideque  
Quaesierit ueniam, sed et impetrarit iniquo  
Et uenia indigno post impia facta marito.  
Ergo suis illam thalamis admittere secum  
Decernens quosdam genialia iura petitum  
80 Emisit. Quibus ipsa trahens a pectore uocem  
Haec responsa dedit, sed prono uertice nomen  
**Abigail ad Daudis legatos** Daudis uenerata prius: "Me munere tanto  
Immeritam fateor. Daudis dicier uxor  
Iesseique nurus plus est quam nostra requirit  
85 Conditio. Seruire meo, seruire parata  
Sum domino, quicquid mihi iusserit ille, facessam.  
Quanus ipsa suis me crura lauare pedesque  
Praecipiat seruis, manibus complebitur istis  
Vile ministerium, merear modo talis in aedes  
90 Esse recepta uiri numeroque admissa suarum  
Vel fieri uel dici pars aliqua ancillarum."  
Ergo ubi defuncto persoluit iusta marito,  
Exurgit dorsumque sui conscendit aselli

Ingrediturque uiam quinis comitata puellis  
95 Cumque uiris, illi qui se uenere uocatum,  
Vesper Maturauit iter. Nondum Phoebeia lampas  
Oceani Hesperia praeceps se merserat unda,  
Abigail fit Daudis uxor Quando ad Daudem uenit noua nupta maritum  
Atque ipsi coniuncta uiro est melioribus usa  
100 Quam prius auspiciis. Post haec (quia lege licebat  
Achinoe altera eius uxor De tribubus propriis plures adducere sponsas)  
Iezrahelitanam thalamo sibi iungere Daud  
Achinoen studuit. Demum gaudere duarum  
Harum coniugio coepit, nam prima Michola  
105 Tradita erat Phalto cuidam sic Saule iubente  
nota Contra scita dei. Nam nescit legibus uti  
Cuiuscunque leuem turbat furor iraque mentem.  
Hinc quia Daudi infensus tunc extitit ille.  
Soluit legitimos peruerso more hymeneos.  
110 Illicitos iussit uinclo uincire prophano.  
Saul in Daudem Cumque iterum Saulem prauis liuoris Herinis  
Aduersum Dauda modis urget amaris,  
Ecce hunc Ziphei quidam ad Gabaona sedentem  
Conueniunt referuntque super iuga montis Achilae  
115 Ipsum Iesseiden timida cum gente morari.  
Exurgens igitur Zipheia currit in arua  
Cum ter mille uiris collemque obsedit Achilae.  
Stabat ibi fixis collecto milite castris.  
Nox Et iam caeca suis terram nox texerat umbris  
120 Diffundens blandum per mollia membra soporem,  
Magnanimus Daud solo comitatus Abisa,  
Praestanti uirtute uiro, descendit ad ima  
Saulis castra uolens. quid tunc ageretur in illis.  
Noscere, quid miles, quid custos procubitorque  
125 Sub noctem curent operis. Sopita iacere  
Corpora deprendit. Fessos irrepserat artus  
Somnus et alta quies uiuos in morte tenebat.  
Ambo igitur uallum transgressi, Saulica lento  
Successere gradu tentoria. Denique cernunt  
130 Iterum Daud pepercit Sauli sibi infesto In medio regem somno spirare  
sepultum  
Militiaeque ducem Abnerum turbamque minorem  
Custodum. Patulam tunc se Daudis ad aurem  
Inclinans audax animi sic fatur Abisas:  
"Ecce deus, deus ecce tuum tibi tradidit hostem!  
135 Vtere sorte data! Vis uno cuspidis ictu  
Conficiam Saulem?" Quotus hoc uetuisset in hoste  
Tam sibi suspecto, quem iam nec mitia uerba  
Reddere placatum poterant, nec cognita fidi  
Pectoris officia? At uetuit Iesseius heros.

140 Qui tunc tale suo responsum fudit Abisae:  
Dauid ad suum Abisam "Mitte animum talem! Nequaquam criminis  
expers  
Esse potest, quisquis perfusum chrismate sacro  
Ausus erit uiolare uirum seu laedere ferro.  
Absit ut hanc unquam Cisidae sanguine dextram  
145 Foedarim! Licet ille meae dispendia uitae  
Dira mente paret, semper tolerabimus illum,  
Donec diuino mulctatus uerbere finem  
Imponat furiis odiumque relinquat iniquum.  
Nunc hostile illud, quod fixum stare uidemus  
150 Ad caput ecce suum, taciturnus tolle cyphumque  
Hastili haerentem. Cumque hac tantummodo praeda,  
Dum nox atra fauet, colles repetamus eosdem."  
Indeprensi abeunt nondum uigilantibus ipsis  
Saulis militibus. Superato uertice montis  
155 Dauid, conuerso ad regis tentoria uultu,  
Ingenti clamore tonat: "Custodia curae  
Dauid ad Saulis custodes O quibus est Saulis, iam surgite, surgite et  
aure  
Nequaquam surda nunc nostra admittite dicta!"  
Abnerus uocis sonitu uulgi que tumultu  
160 Experrectus ait: "Quis tu, qui ueneris isto  
Verborum tonitru regis turbare quietem?"  
Respondit Dauid: "Num non, Abnere, potestas  
Illa tui donata manet tibi munere regis,  
Post ipsum ut fieres primus? Taline rependis  
165 Officium mercede suum, quum dormiat ille  
Sub te custode, ut uitae tam certa pericla  
Ille suae subeat? Nam quidam sustulit illi  
Tela cyphumque simul, capiti quae proxima regis  
Sopiti steterant. Domini custodia quem sic  
170 Delectet, mortis poenas est pendere dignus."  
Saul placatur Agnouit uocem iam rex Dauidis et idem  
Commotus pietate uiri, qui parcere uitae  
Insidiatoris toties quam caede nocere  
Maluit, "Heus" inquit "nunquid Iesseia proles  
175 Et meus es Dauid?" Cui statim reddidit ille:  
Dauid ad Saulem "Dauid ego seruusque tuus, uirtute fideque  
Nulli non notus te praeter. Causa nefandi  
Quae sit, quaeso, odii? Pacem promittis, et arma  
Importuna moues. Data nobis foedera frangis,  
180 Fracta dolo sarcire paras. Ostendis amicium  
Fronte palam, saeuum seruas in cordibus hostem.  
Quis furor hic, o rex? Ignoscas, talia fari  
Compellit me quippe dolor, tibi semper honori  
Quum fuerim, quum nostra tuos euerterit hostes

185 Dextra. Palestinae memorant mea gesta phalanges  
Nec mihi se caessisse negant, certamen inire  
His quoties placuit. Nunc tuti gaudia carpunt,  
Quod mala, quae passi te sunt autore, meorum  
Viribus atque meis, te nunc ultore ruina  
190 Compensare mea iam sperent atque meorum.  
Ergo infesta mihi, Cisides, arma mouere  
Non potes, ipse tuos nisi contra iuueris hostes.  
Desine me tandem, qui te colo, uelle perire  
Atque fauere illis, optant qui tristia fata  
195 Ambobus nobis et semper Marte lacesunt.  
Ecce iterum potuit mea te configere dextra,  
Et se continuit. Facti mutilatio uestis  
Fecerat ante fidem, faciat nunc hasta cyphusque,  
Praeda thoro sublata tuo, distenta sopore  
200 In quo membra tenens proflabas pectore somnum,  
Quum nemo, qui non altum dormiret, adesset."  
Confusus rex mente fuit, quo crimina posset  
Expurgare, nihil sibi cernens esse relictum.  
Saul respondet Mox "Peccauit." inquit "Veniam da, quaeso, fatenti.  
205 Multa mei leuitas animi me traxit, inique  
Talia ut inferrem tibi, Daudid. Consciens ergo  
Erroris doleo. Redeas securus in urbem  
Aut, mage si libeat, patrios concede penates,  
Vel quocunque uelis, et nil iam denique triste,  
210 Vim nullam metuas. Meme tibi semper amicum  
Crede fore, ipse meam quando superesse salutem  
Quam periisse magis cupias. Quod credere nunquam  
Induci posset mea mens, nisi talibus esset  
Edocta indiciis, fateor nil certius istis."  
215 Sed nec adhuc Daudid se prorsus credidit illi  
Raptaeque restituens "Velut" inquit "saepe peperci  
Ipse tuae uitae, sic rebus fata secundis  
Me seruent sortemque uelint auferre sinistram."  
Tunc et Cisides illi ipsi prospera laetis  
220 Optauit uotis et nil hostile relinquens  
Sublatis petiit Gabaonia praedia castris.  
Ad loca nota pius Daudid cum plebe suorum  
Cumque graui rediit circa praecordia cura.  
Certus enim fuerat regis non fidere uerbis,  
225 Non dare sese illi, cuius metuenda potestas  
Instabilisque fides et nunquam firma uoluntas,  
Comparatio Qui uarius fallaxque foret similisque marinis  
Aequoribus, quae saepe die tranquilla sub uno  
Et constrata silent, rursumque inflata tumescunt  
230 Commutantque suam cum tempestate quietem  
Quasque modo aequali dorso uexere carinas,

Illas mox rabidis undarum molibus urgent.  
**Dauid secum** Haec igitur secum Dauid: "Per regna uagari  
Me sua Cisides dum scit, non desinet unquam  
235 Impetere insidiis uel aperto quaerere bello.  
Atque ideo quandoque capi continget et illas  
Incurrisse manus, fugiens quas saepe latensque  
Hactenus euasi caelestis munere regis.  
Nonne mihi melius procul hinc discedere et oras  
240 Alterius regni sedesque subire remotas,  
Vt, quum Iudeos extremi limitis agros  
Excessisse sciet me rex, mihi bella mouere  
Et mea scrutari tandem uestigia cesset?"  
**Summum mane** Phosphorus Eoo praecurrere coeperat orbe  
245 Solis equos rutilasque faces prodire monebat  
Ore rubescenti flauisque nitore capilli,  
Quum ductor Dauid surgens mouet agmina secum,  
**Dauid venit ad regem Achim** Sex centena uirum. Recto petit intima  
cursu  
Regna Palestinae Gethamque ingressus in urbem  
250 Achi sese offert regi sedemque precatus,  
Tecta oblata capit secumque manere cohortem  
Iussit et ambabus secreta cubilia monstrat  
Coniugibus sociatque pares aetate ministras,  
Vt dominas famulasque domus pars altera haberet,  
255 Altera pars marium tantum foret hospita turbae.  
**nota** Nanque uiros inter turpe est residere pudicis  
Diuersique cauere parum consortia sexus.  
Nec decet armatos atque aspera bella gerentes  
Foemineis blande mixtos habitare cateruis.  
260 Vt Saul audiuit. quod Getham caessit ad urbem  
Iesseides Dauid, fugientis destitit armis  
Terga sequi missisque uirum perquirere turmis.  
Ast ubi se media Dauid regione manendo  
Externi regni uidit nihil aedere posse  
265 Forti animo dignum et expertae robore dextrae  
**Dauid ad Achim** Stans Achi coram uerbis ita fatur amicis:  
"Salue, magne magis magno genitore Maocho,  
Sceptra Palestinae qui gestas aurea gentis!  
Seruus ego tuus hic aliud nil sentio certe  
270 Me praestare tibi praeter leuis ocia uitae.  
Dic extrema igitur tuear confinia regni,  
Vt tua defendens armis aliena laccessam  
**Saul** Et discat patriis Cisides quem expulit oris,  
Cisides tuus atque meus iam cognitus hostis."  
275 **Sicelechus urbs data Dauidi** Annuit oranti rex illi. Tunc Sichelecum  
Extremis positam concessit finibus arcem.  
Transtulit ergo illo rex Dauid seque suosque.

Hinc Syriae uicos Gethsurum et germine Gezram  
Foecundam multo et sterilem pomis Amalechum  
280 Praedari solitus, gentis loca nota prophanae.  
Auertens armenta bouum pecudumque rudentum  
Lanigerosque greges et ruptos terga camellos  
Exuuiasque uirum. Sed nequis nuncius ista  
Deferre ad regem patulasque onerare querelis  
285 Aures illius posset, trucidare colonos  
Moris erat. Superesse puer iuuenisue senexue,  
Vel iam mater anus, uel adhuc innupta puella  
Permissi haud fuerant. Aetas, conditio, sexus  
Exitii expertem poterant tunc reddere nullum.  
290 Et quum res raptas Getheam ferret ad urbem  
Iesseides, coram iactabat talia sese  
Israhelitarum genti sublata referre.  
Id simulare leuis fuit error, nec tamen ullum  
Desaeuire nefas aduersus corpora gentis  
295 Infidae, mandante deo disperdere cunctos,  
Quorum Iudeae promissa noualia plebi  
Essent atque omnis possessio debita terrae.  
*Achis Maochi filius* Inde Maochides Daudem dicere semper  
Vera ratus populoque putans abducere praedas  
300 Illum saepe suo uastareque Saulica regna  
Iudeumque solum, iam ipsum sibi semper amicum,  
Ipsum per cunctos fidum fore credidit annos.  
*Achis ad Daudem* Ast ubi iam magno compelleret agmina motu  
Inferretque uolens Sauli fera praelia regi,  
305 Dixit Daudi: "Nunc te mea bella reposcunt  
Ostendasque iubent, quantum uirtute feroci  
Consilioque uales. Lateri te adiungere nostro  
Decreui: tu certa meae custodia uitae,  
Tu capitis tutamen eris. Dic turma tuorum  
310 Se telis animisque paret praestantibus ultro  
Exiliumque tuum tandem seu uindicet armis,  
Seu cupiat lethum pulchra pro laude pacisci."  
*Dauid respondet* "Laetor," Daud ait, "rex regum maxime, laetor,  
Quod mihi, quam cupii, sit nunc oblata potestas  
315 Monstrandi, quantum possit mea dextera bello,  
Debeat et quantum tibi uirtus nostra fidesque.  
Immo referre reor grates magis esse decorum  
Officiis, uenerande, tuis et munere dignas  
Quam studuisse meae tanto certamine famae.  
320 Debeo cuncta tibi: tu pulsum in regna receptas,  
Tu fere adhuc nobis meritis nihil oppida donas  
Militiaeque tuae tu me dignaris honore.  
Talibus obstrictum non me uis ulla pericli,  
Non arcere labor poterit tua castra tuentem,



325 Donec uulneribus confosso corpore uires  
Destituent lapsosque solum susceperit artus."  
Forti digna uiro Daudem uerba loquentem  
**Rursum Achis** Achis utraque manu constrinxit ad oscula dicens:  
"Viue diu, Daud! Si uixero, plura daturus  
330 Sum quoque dona tibi. Primos eris inter amicos  
Atque Palestinae ductores maximus aulae.  
I nunc cumque tuis nobis in tempore adesto!"  
**Achis aduersus Saulem regem** Post, ubi ad arma omnes iam conuenerere  
manipli  
Magnanimique duces fulgentesque aere cateruae,  
335 Milia multa uirum, peditum longo ordine coetus  
Atque equitum numerosa cohors, effusa patentes  
Per campos, lentis non multum passibus ibant.  
Peruentum est ad plana Sunae finesque Sebastae.  
Hic tandem fixis libuit considerare castris.  
340 **Saul** Rex Saul ipse etiam secum mouet arma, coactis  
Israelitarum legionibus. Omnia feruent  
Armatis hominum turbis. Nunc spargitur agmen  
Promptius incedens et nunc glomeratur in unum,  
**Comparatio** Humentes ueluti nubes, quas undique uenti  
345 Aera per uacuum iactantes flatibus urgent,  
Atque hic rara nitent, illic densata nigrescunt  
Vellera, dissimiles uarie miscentur acerui.  
**Gelboa mons** Gelboa mons primum Saulis tentoria lato  
Excaepit dorso. Cuius de uertice spectans  
350 Ille Palestinas acies atque horrida telis  
Castra suis, clypeos, galeas, thoracas ahenos,  
Ingentes hastas, sinuatis cornibus arcus  
Falcatosque enses, timuit gelidoque pauore  
Constitit affectus, dum se non crederet ipsis  
355 Esse parem, numero sed enim praestare uirorum  
Hostilem turmam et duri munimine ferri.  
Aestuat infelix curisque urentibus aeger  
Consulit aetherii, quae laesit, numina regis.  
Vt sibi nulla dari uidit responsa, nec ulla  
360 Somnia, quae belli possent praedicere finem,  
Nec monita, a sacris frustra quaesita prophetis,  
Protinus ad magicas se transtulit impius artes,  
**Saul de euentu pugnae consulit magam** Quaesiuit sagas. Endora discit in  
urbe  
Huius sortis anum paruos habitare penates,  
365 Quae transferre queat (si uera est fama) labores  
Agricolae faciatque alio sata surgere campo,  
Nubibus exortis caelum fuscare serenum  
Et rursum nubes fulgenti caedere Soli.  
Quaeque etiam excitos manes exire sepulchris

370 Cogat et humanas audire et reddere uoces.  
Post tamen hi tenues abeunt ceu fumus in auras,  
Ne stabili uirtute putes remeare priores  
Cantibus admotis resoluti in corpore sensus.  
Cisides igitur mutatis uestibus atque  
375 Sese alium simulans cupiensque latere, quis esset,  
Non nisi cum seruis Endorae tecta duobus  
Nox Sollicitus petiit. Iam pullis texerat alis  
Humida nox terras, animantum corpora blandos  
Carpebant somnos, placida perfusa quiete,  
380 Quando adiere magam tres isti sacra cientem  
Thessala, iam multae per amica silentia noctis.  
Saul Cisides rogat hanc, Samuelis ut ipsa prophetae  
Sedibus ex imis notam sibi suscitet umbram,  
Ore uolens uatis doctus iam nosse futura.  
385 Tale autem facinus mulieri forte timenti  
Ordiri praesente uirum spectanteque turba,  
Ne delata luat, quas lex sanctissima poenas  
Constituit magici prohibens mala crimina rhombi,  
Cisides iurat nihil ipsi triste timendum  
390 Esse quidem, secura suas exerceat artes.  
Illa igitur uetitos peragens post talia cantus,  
Fatidicam tumulo Samuelis deuocat umbram.  
Ex illo euentus discit secreta futuri,  
Esse etiam Saulem, qui uenit fata rogatum.  
395 *Maga ad Saulem* Hunc ergo mulier primum uenerata "Quid" inquit  
"Ludere me uili uoluisti uestis amictu,  
Vt, precibus commota tuis, quum carmina lege  
Interdicta canam, sumas de crimine nostro  
Supplicium captamque dolis sub Tartara mittas?  
400 Nam scio te esse uirum, cui certe summa regendi est  
Israhelitanam plebem donata potestas." —  
Saul respondet "Fare, age, ne timeas" respondit Cisius heros:  
"Aede palam quicquid uidisti, siue secunda,  
Siue aduersa mihi." Tunc illa afflata furore  
405 Demonis exclamat: "Video pia numina diuum  
Surgere de terrae tumulis umbrasque deorum.  
Quos inter Samuel." Dicto mox ocyus ipsa  
Samuel apparens Affuit effigies uatis, tremebunda senecta  
Membra gerens corpusque labans nixumque bacillo.  
410 Cui clamidis leuo pars haec pendebat ab armo,  
Pars haec sub dextra sese sinuauerat ala:  
Altera erat deprompta manus, manus altera tecta.  
Maiestas inerat uultu canique capilli  
Canaque quae pectus uenerabile barba tegebat.  
415 Tota uiri facies diuino clara decore  
Et iam mortali deposta fulgida forma.

Talis imago fuit Samuelis, quando locutus  
Postremum regi Sauli sic ore profatur:  
**Samuel ad Saulem** "Quid mea marmoreo, Cisides, ossa sepulchro  
420 Ellicis et manes audes uexare quietos?  
Quanquam non adsum cantu reuocatus iniquo  
Illicitisque sacris: caelestis numinis actus  
Imperio ueni." Verbis perterritus istis  
Ille refert: "Veniam mihi da, diuine sacerdos  
425 **Saul respondit** Arcanique sciens uates! Ego nempe periculis  
Ecce premor belli. Getheae sceptrifer urbis  
Ipse Palestinam totam sub Marte coactam  
In me saeuus agit. Frustra responsa Tonantis  
Appetii: renuit sacros audire prophetas,  
430 Somnia nulla dedit. Fuit hoc tentare necesse,  
Vt, quocunque modo te possem, huc usque uocarem  
Atque tuis monitis imbutus denique scirem,  
Quid facto sit opus tanto in discrimine rerum,"  
**Samuel** Contraxit frontem uates et lumine toruo  
435 Respectans inquit: "Quid me responsa petebas,  
Nosses iratum quando tibi numen? An illo  
Inuito quenquam sperasti scire futura,  
Stulte, uel euentus uenturos dicere posse?  
Ipso igitur pandente scias fugisse fauorem  
440 A te diuinum, contra cum gente manere  
Aduersante tibi. Venit fatale tuarum  
Excidium rerum. Regnandi iura dabuntur  
Illi, quem tu odiis agitasti saepe nefandis,  
Dauidi Saulisque domus priuata dolebit.  
445 Hoc mea uenturum tibi, rex, predixerat olim  
Mens afflata deo, cuius tu spernere iussa  
Ausus es, indulgens genti inconcessa prophanae  
Amalechitarum. Sed nequaquam tibi parcent  
Arma Palaestinae, quae iam fugis, impia gentis.  
450 Succumbes uictus tecumque exercitus omnis  
Hostis in arbitrium superatus protinus ibit.  
Tu quoque cum natis Stygias demissus ad umbras,  
Terrentem tristes animas Plutona uidebis.  
Id patiere, prius quam crastina transeat hora  
455 Atque diem clauso componat uesper Olympo."  
Hoc dicto in tenues disparens soluitur auras  
Atque instar fumi in nebulas effusus abiuit.  
At uero Saulis magno concussa pauore  
Occupat ossa tremor gelidusque in uiscera sanguis  
460 Cogitur ad terramque ruunt languentia membra.  
Exanimi similis iacuit. Quum deinde redisset  
Spiritus et pariter uitali corda calore  
Excita sentirent solitum remeasse uigorem,

*Maga* Accessit mulier, multum miserata iacentem,  
465 Atque ait: "Ecce uides, regum celeberrime, quanto  
Obsequio tua iussa sequens tibi cuncta peregi,  
Quae te cunque quidem quam primum uelle ferebas.  
Tu quoque, quaeso, meos facili nunc aure precatus  
Admittas: pietate tui commota precabor.  
470 Sume cibos, tua quos tibi nunc ancilla paraui,  
Deficientem animam reparato ut corpore serues.  
Infirmis titubas pedibus ieiunus et horrens  
Stare nequis rectus. Reuocent obsonia uires  
Ista tuas tandem. ut sanus tua castra reuisas."  
475 Rex autem, moerore graui confectus, ab ore  
Reppulit oblatas notae dulcedinis offas  
Decreuitque mori. Precibus uix deinde suorum  
Mens est mota uiri. Mutauit quippe rogatus  
Propositum lethi porrectaque prandia tandem  
480 Delibans hausit. Tunc ipse illic, refecti  
Iocundis epulis pariter dulcique Lyeo,  
Surgentes abeunt mensis post terga relictis.  
*Nox* Iam multum noctis processerat atque uolucrum  
Cooperat audiri uox undique cristatarum,  
485 Quando iter ingressi, lunari luce tenebras  
Sublustres reddente, meant et passibus altos  
Transmittunt colles effusique aequora campi  
Seque suis demum, quum iam suprema ruberet  
*Mane* Eoae regionis humus sub lampade Phoebi.  
490 Restituunt castris et fessi corpora curant.

## <Liber VI>

### ARGUMENTVM

Regum lib. I, cap. XXIX. Palestini cum Saule conflicturi Daudem, sibi suspectum, redire cogunt ascenduntque in Iezrahel. XXX. Daud, reuersus in Sicelech, offendit ciuitatem uastatam ab Amalechitis uxoresque suas abductas. Cucurrit post eos cum sexcentis, quorum ducentis ad sarcinas relictis cum reliquis assecutus inimicos recuperat praedam et reuertitur in Sicelech. XXXI. Israhelitae in Gelboe uicti. Saul cum filiis periit. Ciuitates a Palestinis occupatae. Iabitae sepelierunt Saulem cum liberis. Regum lib. II, cap. I. Daud in Sicelech accipit nuncium cladis. Luget Saulem et Ionatham et reliquos. Nuncios interimi iussit. Maledixit montibus Gelboae.

## Lib. VI

**Saul** Post haec non multo iussit sua signa moueri  
Iudeae rector gentis uallosque reuelli.  
Descendens igitur Gelboa, transtulit agmen  
Iezrahelitanae ad fontes et flumina terrae,  
5 Ne foret ante siti miles superatus anhella,  
Quam tempus pugnam torquendaque tela uocaret.  
**Achis** Achis et ipse suas audax iubet ire phalanges.  
Ergo Sunae campis omnes post terga relictis  
Festini properant alacresque in praelia tendunt  
10 Agmine quadrato. Daudica turba cohorsque,  
Postremum sortita locum, munibat eundo  
Regis utrumque latus, frontem quoque tergaque regis  
Protegere atque animis audacibus illa tueri.  
Poscere iam pugnam cuncti uibrareque tela,  
15 Exertare manus uultumque efferre ferocem,  
Succlamare etiam terrereque uocibus hostem.  
Inde Palestinos chiliarchas pungere coepit  
Inuidiae stimulus. Non aequa mente ferebant  
Praeponi externos et quam se pluris haberi.  
20 **Achis duces inuident Daudi** "Quidnam" aiunt "uelit ista cohors, rex  
incline, tecum  
Hebraeae plebis, recutiti et copia uulgi?" —  
"Nunquid nescitis bello Dauida probatum"  
Achis ait "Saulisque ducem, mox nostra secutum  
Signa diu fidumque mihi multumque superbo  
25 Infensum Sauli?" Turbati corda furore  
Exclamant omnes: "Redeat dux iste locosque  
Possideat, quibus est abs te donatus abunde!  
Praelia nobiscum tantum desistat adire  
Et certare simul. Quis enim confidere tuto  
30 Iudeis poterit, Iudeis bella mouendo?  
Suspicio est igitur, ne, dum miscebimus arma  
Atque tuum contra connixi stabimus hostem,  
Iste suis, o rex, te primum sauciet armis  
Atque hinc nostra sequens discindat uulnere terga.  
35 Quicquid erit, notum minus ecce pauescimus hostem  
**nota** Quam fidei socium suspectae. Fictus amicus  
Tunc magis offendit, quum multum profore nobis  
Speratur uirtusque patet male cauta periclo.  
Et quanam ratione alia placare furorem  
40 Iste sui poterit regis, nisi sanguine nostro  
Et nisi caede tua? Simul est utrumque timendum.  
Quid non audebit, de quo cantare solebant:

'Saulis mille uirum percussit corpora dextra,  
Mille autem decies Daudis splendida uirtus?'  
45 Quo plus laudis habet, plus est exinde pericli."  
Sermo molestus erat regi, neque credere quicquam  
De Dauide mali poterat. Tamen ipse suorum  
Vocibus impensus caessit, ne forte reclament  
Auersisque animis detrectent praelia belli  
50 Praesentis, uel stare negent ultroque recedant.  
Excitum propius tunc demum talibus illum  
Achis ad Dauidem Alloquitur dictis: "Nihil est, charissime Daud,  
Quod de te dubitem. Nota est uirtusque fidesque,  
Quas mihi testantur toties ex hoste relatae  
55 Exuuiarum et regni protectio sedula nostri.  
Interea nec culpa leuis tua facta notauit,  
Sed de me semper belle sancteque fuisti  
Promeritus factusque mihi es per talia charus.  
Militiae proceres istis decaedere castris  
60 Te tamen ecce uolunt: illis parere necesse est.  
Ergo tuos tecum tollens, seu uis Sicelechum,  
Seu uis ipsa meae retro pete moenia Gethae,  
Ut tandem cessent nostrae mala murmura turmae."  
Hic quoque Dauidi deus affuit. Inde reuerti  
65 Iussus quippe fuit, ne gentis signa prophanae  
Sponte sequens populumque sacris ritumque fidelem  
Cognatumque sibi contra stans impius esset.  
Daud recessit Exurgens igitur supremae tempore noctis,  
Excitat ipse suam et secum iubet ire cohortem,  
70 Atque ubi adhuc dubiae clarere crepuscula lucis  
Coepissent, properant illis excedere castris  
Dux Daud iuuenumque manus retroque petentes  
Arua Palaestinae, subeunt regionis et oras.  
Ast Achis regis directis cursibus agmen  
75 Iezrahelitanos, hostilia terga secutum,  
Accessit campos. Saulis caessere phalanges  
Saul uictus Dilapsosque fuga Gelboae proxima montis  
Culmina suscipiunt. Sed uictrix turma secuta  
Ardenterque premens, illos euertere contis  
80 Coeperat, hos gladiis aliosque ferire sagittis.  
Sternuntur passim, colles clamore resultant  
Armorumque sono, cruor effluit undique riuus.  
Inde globum Saulis legio pilata feroci  
Impete perrumpunt. Contra stetit acer in armis  
85 Ionathas occiditur Et Daudis amor Ionathas: conuersus in hostem  
Se tegit ingenti clypeo simul et rotat ensem.  
Mox tamen hostili circumdatus ille corona,  
Corruit accepto transfixa per ilia ferro.  
Infelix iuuenis moriens Dauida uocabat,

90 Absentem Dauida suum. De morte doloris  
Nil habiturus erat, saluum si posset amicum  
Ante uidere oculis quam tristi caedere fato.  
Iuxta illum fratres, genitus prius Aminadabus.  
Posterius Melchis caesi fugere sub umbras.

95 Saul Et Saul ipse pater, lethali saucius ictu,  
Dum fugit, armigerum rogat ipsum, uulnere uulnus  
Accumulet ferro, ne uiuum colligat hostis  
Coniiciatque ferox in turpia uincla captum.  
Id tamen et iussus timuit committere seruus.

100 Ille morae impatiens, conuersae protinus hastae  
Incubuit. Sed dum misere superincubat, alter  
Accessit fugiens et adhuc in carne morantem  
Cunctantemque animam repetito propulit ictu,  
Obstrictus regis precibus. Mox armiger ille,

105 Mortis heri consors fieri quum uellet, et ipse,  
Ipse suum aduersa transegit cuspide corpus

Seruorum amor in dominos Atque comes illi nigrum descendit ad  
Orcum.

Talis erat Gracchi Philocrates (uera Latini  
Si referunt fasti), tanto quoque nomine dignus.

110 Pandarus ille etiam talis, quo Cassius usus  
Dicitur, Augusti quum uictus uincla timeret.  
Ambo isti dominis uitam rapuere rogati,  
Ne raperet uiuos inimici saeua potestas  
Atque infensa manus. Sua mox in uiscera ferrum  
115 Condunt nollentes illis superesse peremptis.  
Magna haec seruorum pietas, sed maius amoris  
Armigeri specimen: ne regis sanguine dextram  
Polluat, illius tunc iussa facessere cauit,  
Nec tamen extincto uoluit uixisse superstes.

120 nota Siqua autem talem nobis contingere casum  
Fors dabit, affectus iusta ratione regendus  
Tunc erit arcendaeque manus a caede nefanda,  
Quam lex sancta uetat. Sed nec permittitur ulli  
In sua fata suis uiolenter uiribus uti.

125 Nonne etiam maior uirtus et fortior illa est,  
Vincere quae mauult durissima quaeque ferendo,  
Quam quicquam metuens ignauam arcessere mortem?  
Illa dies igitur caesorum corpora uidit  
Israhelitarum misereque iacentia passim

130 Per siluas, per plana soli perque inuia saxa.  
Quo Saul ipse loco, Saulis simul armiger illo  
Conciderant. Alio iacuere cadauera campo  
Natorum, moriensque suam spectare nequiuit  
Prolem Cisides, seruo comitatus obiuit.

135 Deuictum Saulem quum nuncia fama referret,

Incessit populos terror: fugit accola uallis  
Et qui Iordanis seruabant proxima ripis  
Oppida desertis subita formidine mortis  
Effugere procul. Vacuas ingreditur urbes  
**140** Victrix turba uirum et coepit dominarier illis.  
Ergo Palestinae concessit subdita genti  
Iudei pars magna soli: castella fragosis  
Collibus imposita et latis circumdata fossis  
Moenia, frugiferae ualles et pascua rura  
**145** Quique fluunt sparsis riuatim fontibus horti  
Et uario rident florum herbarumque colore.  
**Comparatio** Attalicis similes auleis, siue tapetis,  
Niliacus nobis quae mittit picta Canopus.  
Talia multa timor uenienti caesserat hosti,  
**150** Nullo obstare auso, nec se defendere telis  
Tutarique armis, quando tot fortia bello  
Corpora Gelboe cecidisse in monte sciebant.  
**Mane** Postera lux radiis nocturnas dispulit umbras,  
Cooperat et uolucrum uibratus gutture cantus  
**155** Audiri montisque procul splendescere culmen,  
Quando Palestinus surgens exercitus omnis,  
Praesidio tantum super oppida capta relicto,  
Nota retro petiit Gelboae culmina rupis  
Iudeas lecturus opes atque arma iacentum.  
**160** Illic uisa trium natorum corpora primum  
**Ionathas** Cisidae Saulis. Ionatham recubare supino  
Corpore conspiciunt. Clypeum gladiumque tenebat  
Tunc etiam infelix ineratque ferocia uultu  
Exanguis gelidosque iacens disiecerat artus.  
**165** **Aminadab** Aminadabus erat proiectum in puluere corpus,  
Sanguine concreto sparsumque cruore cadauer  
Et capite exciso truncum. Sed cuspide guttur  
**Melchis** Fixum Melchis habens genibus contexerat ora  
Atque iacens modicum sese sinuarat in orbem.  
**170** Hos armis tunicisque simul spoliare cruentis  
Primum festinant et corpora nuda relinquunt.  
Inde alios aliosque petunt tolluntque uiritim  
**Saul** Cunctorum exuuias. Saulis mox nacta cadauer  
Turma ferox, exanguis caput diuulsit ab illo  
**175** Purpureosque tulit misere recubantis amictus  
Loricamque auro contextam cingulaque auro  
Fulgida et aurati discinctum tegminis ense.  
Truncus nudus erat, modo qui tam lata superbus  
Regna tenens populos nutu terrebat et urbes.  
**180 nota** O quam stulta hominum dominandi et uana cupido!  
Viribus hoc opibusque petunt uitaeque periclo,  
Vna simul totum Sauli quod sustulit hora.



**Sintopolis antea Bethsana** Bethsanae murus, cui nunc Sintopolis urbi  
Est nomen, tenuit suspensa cadauera regis

**185** Natorumque eius. Media testudine templi

**Deus Astharoth** Ante deum, quem gentes Astharota uocabant,  
Regia suffigunt spolia et rem carmine signant.

**Achis uictor** Duceret eximium quum uicto Saule triumphum,  
Ista suis Achis uictor diis dona dicauit.

**190 Iabitae** Corpora Iabitae furati nocte tulerunt  
Ad patriam Iabim (Galada stabat in ora  
Vrbs Iabis summo sublimis et ardua colle  
Trans Iordanis aquas). Frondes ramosque cupressi  
Congessere super suppositoque igne cremarunt.

**195** Deinde, pyra extincta, legerunt ossa calenti  
De cinere atque eadem candentibus erruta prunis  
Conspicuo posuere loco, quem frondea silua,  
Quem fons irriguus, quem tellus nobilitabat,  
Herbarum assiduo gaudens et laeta uirore,

**200** Non procul a Iabis muris. Ibi tecta sepulchro  
Septenos luxere dies: funebris amictus  
Humentesque oculi, querulo quoque nenia cantu  
Indubitata dabant non parui signa doloris.

**Dauid reuersus Sicelechum** Dauidem interea Dauidiademque cohortem

**205** Tertia lux tandem Sicelechi reddidit agro.  
Abductis uastam uiderunt ciuibus urbem  
Incensamque igni. Paulo ante inuaserat illam  
Amalechitarum sumptis gens fortis in armis  
Praedatrixque simul longisque assueta rapinis.

**210** Seruarat fuga sola uiros. Pueri atque puellae,  
Vxores matresque uirum sub uincla coactae  
Hostis in arbitrium sese caessisse uidebant.  
Heu miserae natos linquentes atque maritos  
Atque patres, manibus plangebant pectora duris,

**215** Nec cessant laniare comas, nec carpere uultus  
Sanguine foedatos, undanti lumina fletu  
Et lachrymis implere sinus et spargere tristes  
Cum gemitu uoces longi uariique ululatus.  
Quumque sonos rupes uicini montis eosdem

**220** Redderet obiectu saxorum culminis alti,  
Difficile est dictu, quantum miserabile carmen  
Exinde humanas surgens ueniebat ad aures.  
Qui reliqui fuerant, compuncti corda dolore  
Flebant. Ipse suas fleuit Iesseius heros

**225** Vxores, captiuas ambas, Abigailem  
Achinoenque simul. Tristi plebs acta furore  
Insultare duci causamque hunc esse malorum  
Dicere, quod poterat qui praesens esse saluti,  
Absens absentes praedam dimiserit hosti

230 Tradideritque simul. Manibus uix temperat amens  
Cocio, sed fato Dauida tegente quieuit.

**Dauid** Ille ergo indutus sacratum protinus ephot,  
Aggreditur rogare deum, possetne repenti  
Cursu castra sequi latronum ipsosque rapinis

235 Exuere. Vtque sibi caelestia numina certis  
Annuere agnouit signis, citat agmina promptus  
Sexcentena uirum. Quorum pars tertia lassi  
Vixque iter emensi medium ad Besora fluenta  
Subsistunt reliquique ducem Dauida sequuntur.

240 Flumine transmisso campos adiere patentes,  
**Quidam Aegyptius occurit Dauidi** Quando uisa uiri, macie confecta  
suprema,

Obuiaque effigies. Miserando pabula gestu  
Postulat, ore loqui nimium languente nequibat.  
Tunc data sunt illi caricarum massa, maniplus

245 Passae uuae panisque recens et pocula lymphae.

His reuocat uires. Dauidi deinde roganti  
"Aegypto genitus sum" dixit "mancipiumque  
Cuiusdam magni modo principis Amalechitae.

Qui nunc cum multis per rura aliena uagatus,

250 Abduxit praedas, Sicelechum uertit in ignes  
Atque Palestinos fines populatus abiuit  
Meque hic aegrotum properando sponte reliquit.

Iamque fame infelix, et non langore peribam  
Corporis aegroti. Vestro nunc spiritus omnis

255 Stat meus auxilio, uestro nunc munere uiuo.

Tertia nanque dies teritur mihi sedibus istis  
Quaerenti frustra pariter potumque cibumque.

Qui sim, iam nostis. Seu me seruare uelitis,  
Arbitrii uestri est, seu certae tradere morti."

260 "Nil dubites iam" Dauid ait" modo ducito ad istam

Tu nos praedonum turmam. Seruabere liber  
Iamque ibis quocunque uoles formidinis expers  
Securusque tui, tibi caeli numina iuro."

Hoc duce pergentes superatis collibus ultra

265 Arua Palaestinae turmam uidere sedentem  
Lateque effusam uirides recubare per herbas.

Illic esse rati se tutos, uina coronant  
Indulgentque epulis, conuiuia festa facessunt,

Ob praedam laeti. Dauidis turbine magno

270 **Dauid uictor** Improvisa phalanx medios irrumpit in illos.

Strictis res geritur mucronibus. Ampla repenti  
Caede repletur humus mensaeque thorique cruore

Sparguntur passim. Sessorum corpora iuxta  
Caesa cadunt, clamorque uirum strepitusque uolantum

275 Vndique telorum, inflictique quoque comminus ictus

Crebrescunt magis atque magis, superintonat aether  
Et reboant ualles et mons collesque resultant.  
Exultat uictrix acies latroneque uicto  
Raptas cogit opes, hominum pecudumque receptos  
280 Colligit usque greges. Daudi est utraque coniux  
Reddita, multa uirum subito data milia letho.  
Sola quater centum iuuenum manus ardua scandens  
Dorsa camellorum, fugeret dum praepete cursu,  
Euasit tanti manifesta pericula belli.  
285 Ibat Daudid ouans, redimitus tempora lauro,  
Insigni quoque uectus equo, tota agmina circum,  
Omnes et spoliis et telis hostis onusti.  
Cumque illis pueri, mulieres atque puellae,  
Iamdudum captiua manus, nunc libera, tendunt  
290 Ad patrium remeare solum (mora nulla), citato  
Quisque gradu properat propriosque subire penates  
Solarique suos, ut quos tristauerat atrae  
Sortis conditio, mutatae gaudia laetos  
Continuo reddant et palmis plaudere cogant  
295 Et suscepta deo iubeant persoluere uota.  
Atque ubi peruentum est propius Besora fluenta,  
Bis centena cohors, illis quae fessa resedit  
In ripis, uisum surgens Dauida salutatur  
Seque illi penitus coniungit. Caetera turba,  
300 Non omnis, sed uexat amor quos aeris habendi.  
Reclamant. "Dabimus nihil his" dixere "bonorum,  
Quae uehimus! Quoniam quos nunc absentia pugnae  
Fecerat exortes, nostrae quoque iura rapinae  
Nequaquam caedi decet his. Vxoribus ergo  
305 Contenti et natis acceptis, caetera nobis,  
Nostrorum capitum discrimine parta, relinquunt."  
Dauidis iudicium Haud ita Iesseidae uisum, cui cura tuendae  
Fraternae pietatis erat. "Victoria." dixit  
Haec modo diuino nobis collata fauore est,  
310 Nec magis ipse deus uobis fauisse uidetur,  
Qui magnis animis nixi pugnastis in hostem,  
Quam quos inuitos casus residere coegit  
Imperiumue ducis. Quum sic euenerit, ergo  
Aeque participes praedae debere tuentes  
315 Impedimenta uiros iubeo casuque relictos,  
Vt qui mortiferae subeunt discrimina pugnae."  
Ex hac ista die lex est seruata perennis  
Militibus sociisque simul tractantibus arma.  
Altera lux omnes Sicelecha sistit in urbe  
320 Et uirides palmas et laurea sarta gerentes.  
Dauidis laus Daudi laudes gratesque a ciuibus actae,  
Dauidis nomen iuuenesque senesque canebant

Per fora perque domos, per compita cuncta uiarum:  
Solum hunc inuictum, quo sospite nullius arma,  
325 Nullius insidias metuant, sed iam omnia sperent  
Ad uotum fluxura sibi iocundaque semper.  
His aliisque simul celebrabant undique uerbis  
Virtutem animumque ducis. Tamen ipse suorum  
Gestorum laudem caeli terraeque potenti  
330 Attribuit domino semper gratesque peregit.  
Diuersisque locis quum munera mitteret, inquit:  
"Ista deus nobis indulsit, non mea uirtus,  
Quae uobis mittenda quidem curauimus ipsi,  
Vt uos thure sacro pecudumque cruore litantes  
335 Pro bene re gesta grates referatis eidem."  
Porro urbes, quas ipse suis donasse refertur  
Vrbes quibus Dauid misit dona Muneribus, sunt hae: diuum domus  
inclita Bethel,  
Sublimis Ramoth, muris firmissima Gether,  
Aroer, assiduis Arnon quam circuit undis,  
340 Contemptrix lethi Sephamot consorsque doloris  
Esthama saepe grauis, mercatrix improba Rachal,  
Inde dei metuens Hierameli, aeraria Ceni.  
Nobilis Asa lacu, sita montis uertice Rama,  
Se peccasse dolens Athac Hebronque iugalis  
345 Et magico infamis cantu, loca denique cuncta,  
Cum quibus hospitii Dauidi iura fuere  
Et quae iam sancto Solymarum subdita regno,  
Submissa uitale iugum ceruice ferebant,  
Falsorum contemnendo simulachra deorum,  
350 Suscepto ueri uenerandi numinis usu  
Moreque sacrorum. Iam tertia coeperat orbem  
Illustrare dies Dauide a caede reuerso  
Nuncius cladis Israhelitanae Amalechitarum, quum tristis nuncius illi  
(O quam festino turbantur gaudia luctu!)  
355 Aduenit memorans Gelboi funera belli  
Innumerasque neces magno certamine plebis  
Iam dudum uictae, Saulis quoque regis acerbam  
Et Ionathae saeuam per plurima uulnera mortem.  
Horum de casu quaesitus plura duorum  
360 "Ecce fugam capiens" inquit "per deuia saxa  
Montanae rupis, regem tunc forte iacentem  
Offendi proprio transfixum pectora ferro.  
Viuus adhuc altosque ciens sub corde dolores,  
Vt me uidit, ait: 'Sic te sors temporis huius,  
365 Quisquis es, eripiat capitis uitaeque periclo  
Dissimilemque meae praestent pia fata quietem,  
Hanc mihi luctantem pellas de corpore uitam  
Protinus ense tuo, quo mortis morte dolores

Ocyus excedant. Animam miseratus anhellam  
370 Solue suis uinclis, da iam requiescere lassae'.  
Percussi iugulum, fateor. Tunc protinus ipse  
Liquit humi exanimes discedens spiritus artus.  
Iamque propinquabat fugientum terga sequendo  
Turma ferox, rapui regis diadema decorum  
375 Armillamque simul rapidoque euadere cursu  
Contendi, euasi, Sicelechi tecta petiui,  
Tale tibi ut referam facinus, dux inclyte Daud.  
Vtque fidem praestes, uideas si dextera Saulis  
Hoc insigne tulit, uel si capitis uenerandi  
380 Hoc gestamen erat." Deprompsit talia dicens  
Daud Saulis necem dolens Armillam auro contextam gemmisque  
coronam.  
His uisis stupuit Daud motusque dolore,  
More suae gentis manibus discindere coepit  
Vestes ipse suas. Hoc ipsum caetera turba  
385 Tunc imitata, sinus pariter lacerare fluentes,  
Flebilibus lamenta modis componere, corde  
Suspirare graui, lachrymis perfundere uultus,  
Nil toto gustare die Ionathaeque dolendo  
Cisidaeque uicem, casus clademque nefandam  
390 Israhelitarum, populi plebisque ruinas.  
Deterso fletu Daud sublata parumper  
Ora hominem uersus flexit cuiasque rogauit  
Ille foret, tam dira sibi qui nunciat acta.  
"Externi generis sum," rettulit "Amalechita  
395 Daud ad cladis nuncium De genitore satus, uestratia castra secutus."  
Daud ait: "Quare diuino chrismate sacrum  
Extentam uiolare manu ferroque ferire  
Ausus es, o nimium, nimium temerarie? Non te  
Regia maiestas, non nominis, impie, splendor  
400 Retraxit monuitque manus frenare proteruas?  
Hiccine honos nostris debetur regibus olim,  
Vt quos ipse deus plebi populisque regendis  
Praeficit, inflicto premat illos uulnere seruus?"  
His dictis miles ferratae cuspidis ictu  
405 Perforat illius costas Dauide iubente.  
Corruit ictus humi, fluxit de uulnere sanguis  
Vitalisque uigor pariter cum sanguine fugit.  
Iesseides super extentum tellure cadauer  
Exanimesque artus astans "Tua crimina" dixit  
410 "Ecce caput pressere tuum, quum tu ipse locutus  
Te contra fueris, coram confessus iniquum  
Atque immane scelus, sacro perfusa liquore  
Membra perisse tua, seruorum pessime, dextra."  
Mox inde auersus, Ionathae Saulisque cruenta

415 Secum fata dolens tales dabat ore querelas:  
Dauis lamenta "Heu generis miseranda mei fortuna! Feroces  
Robustique uiri, Iudeae fortia bello  
Corpora, conflictu perierunt cuncta sub uno  
In cliuis, Gelboa, tuis. Quid agetis inertes,  
420 Quid turba imbellis regi ducibusque superstes?  
Quis tua, ne rapiant hostes, pecuaria post haec  
Defendet? Quis deinde tuos tibi proteget agros,  
Hos inimica manus ne uastet? Denique muros  
Quis fidens animi tutabitur, omnibus una  
425 Fortibus amissis et dira caede peremptis?  
In quos Achis atrox grassatus, sanguine nostros  
Impleuit colles et siluas ossibus altas.  
Proh, Gelboa nocens, nec ros, nec fertilis imber  
In tua dorsa pluant, siccentur amoena uireta,  
430 Arescant herbae, desit quod rusticus olim  
Colligat et prono quod grex detondeat ore!  
In te strata iacent Saulis sublimia membra  
Vili humilique loco, ueluti de plebe prophana  
Vnus et ipse foret, qui dudum insignia regni,  
435 Sceptra manu gessit, sancto sacratus oliuo.  
In te procubuit Ionathas quoque, regia proles,  
Victor et ipse uirum. Ionatha charissime, quo te  
Prosequar affatu? Quali lamenta mouebo  
Ore miser? Quanto referam tua funera fletu?  
440 Cuncta simul periere mihi solatia tecum.  
Tu mihi in aduersis requies, dulcedo secundis,  
Spes dubiis fueras, in magnis saepe periclis  
Tu uitae tutela meae, tu causa salutis.  
Nunc sine te nil dulce mihi: moerore replebor,  
445 Quo me cunque feram. Sed si tua scilicet una  
Mors mihi perpetuos fuit allatura dolores,  
Quanto flenda magis tantis comitata tuorum  
Funeribus fatoque patris populique ruina?  
Talia, fama, sile! Getheam nullus ad urbem  
450 Cladis rumor eat, dispendia nesciat ista  
Ora Palestinae terrae, non Ascalon istud  
Audiat ipse nefas, nostrorum sorte malorum  
Infensus semper nobis ne gaudeat hostis!  
Quis tamen ista teget? Nullus patet angulus orbis,  
455 Qui non plenus erit tam diri murmure belli,  
Tam grauis erumnae tristi moestoque relatu  
Barbaricis etiam populis gentique ferinae.  
Me si tantarum capient obliuia rerum,  
Nulla tamen Ionathae nomen mihi subtrahet aetas,  
460 Non robur iuuenile uigens, non aegra senectus.  
Quumque uolet nexus mors soluere corporis huius

Infernosque uidere locos me iusserit, illic  
Tunc primum, Ionathas noster qua sede moratur,  
Inquiram daboque amplexus atque oscula, siquid  
465 Tale dari poterit iam carne carentibus umbris.  
Illi me comitem, quoquo se uerterit idem,  
Praestabo laterique latus sociabitur omni  
Tempore, collatis ultro citroque fruemur  
Dulcibus alloquiis, donec felicius aeuum  
470 Aetherii pietate patris traducere nobis  
Translatis supera caeli continget in aula,  
Angelicis ubi iuncta choris humana propago  
Diuino felix uisu semperque beata  
Fiet et in nullo claudet sua gaudia saeclo."  
475 Talia iactando, manantia lumina fletu  
Nunc demittit humi, nunc alta ad sydera tollit,  
*Comparatio* Nunc uertit circum. Veluti qui uulnere laesus  
Lethali dubiae cupit omnia pharmaca uitae  
Impendisse simul, medicos perquirat et omnes  
480 Poscit opem, sic se uolendo Daudid agebat,  
Nullo aegram curare ualens medicamine mentem.

## <Liber VII>

### ARGUMENTVM

Regum lib. II, cap. II. Daudid ascendit in Hebron. Vngitur in regem. Benedixit Iabitis, qui sepelierunt Saulem. Abnero autore Isbosethus, Saulis filius superstes, regnauit annos duos super Israel. Daudid autem regnauit in Hebron super Iudam annos VII, menses VI. Abner et Ioab inter se pugnant. Ibi Asahel, Ioabi frater, ab Abnero ineficitur. Interfectus in Bethleem sepelitur. Ioab cum suis redit in Hebron. III. Daudidi in Hebron nati sunt filii. Isbosethus dissidens cum Abnero Micholam Daudidi restituit. Abneri persuasu Israel recaepit Daudidem regem. Daudid ipsum amice suscepit. Ioab superueniens Abnerum per dolum interimit. IIII. Isbosethum filii Renon dormientem interficiunt. Caput afferunt Daudidi in Hebron, qui eos iussit interfici et caput sepeliri. V. Vniuersae tribus couenientes in Hebron salutauerunt Daudidem regem. Ille cum ipsis uenit Hierosolymam. Expulit Iebuseos. Arcem Syon muniuit.

### Lib. VII

Hactenus ipsa ducis Daudidis diximus acta,  
**Inuocatio** Nunc subeunt cantanda mihi quae gesserit idem  
Sceptra tenens regni. Meliori carmina nobis  
Digna lyra donate, deae! Non numina celsi  
5 Inuoco Parnasi lotasue Helicone sorores,  
Sed uos, diuinas Charites, quae culmine lapsae  
Aetherio colitis Iordanis fluminis undas  
Et loca nota piis. Saulis post fata tyranni  
Accepit responsa dei Iesseius heros  
10 Atque his admonitus Iudae migravit in urbem  
Hebronem, quondam populis opibusque potentem,  
**Adam, Abraham, Isaac et Iacob** Quattuor et celebrem positis ibi forte  
sepulchris  
Primorum Hebrei generis gentisque parentum.  
Huc cum coniugibus se contulit ille duabus.  
15 Inde suos socios diuersa per oppida misit,  
Subdita tunc illi, modo quam memorauimus, urbi.  
Illuc Iuda tribus properans conuenit ad ipsum  
**Dauid rex** Iesseiden regemque uolens de more salutat  
In solioque locat sacroque perungit odore  
20 Purpureaque super contactum ueste coronat.  
Iamque auro radiare caput sublime sedentis  
Cooperat et molles aurum circumdare lumbos,  
Aurea de tereti pendere monilia collo  
Et splendere simul, totos diffusa per artus,  
25 Maiestas immensa uiri, quum uenit ad aures  
Facti fama pii, quod Saulis corpora regis  
Natorumque trium Iabitae rapta tulissent  
A pinnis, Bethsana, tuis ad praedia Iabis,  
Quod myrrha et casiis et odora perlita nardo  
30 Clausissent patrio pariter collata sepulchro.  
Continuo Dauid delectos tendere Iabim  
Imperat ipse uiros pacisque insignia dextra  
Ferre manu: ramos semper uiridantis oliuae.  
Qui mox emensi Galaadas passibus oras,  
35 Perueniunt Iabim. Suscepit curia laetos.  
Illi autem coram seniorum stante corona  
Talia maturo fuderunt pectore dicta:  
**Dauidis legati ad Iabitas** "Ab Dauide quidem modo missi aduenimus  
istam  
Urbem, Iabitae. Quod uestro funera regi  
40 Pignoribusque simul digno curastis honore,  
Commendat multum laudansque ad sydera tollit.  
Inde deum poscit, uobis bona cuncta rependat  
Pro tanta in dominos uestra pietate fideque  
Seque simul meritas grates debere fatetur,  
45 Soluendas quum tempus erit pro talibus aptum.



Vos iubet interea moestam deponere mentem  
Atque bono esse animo, quando ipse in sede locatus  
Saulis, odorifico perfusus unguine regnat,  
Sic Iuda curante tribu fatoque fauente

50 Responsisque dei. Qui Iudae nominis estis,  
Vos gaudere decet. Regnandi facta potestas  
Perpetua est uobis, donec de sanguine uestro  
Saluator ueniens prisci maledicta reatus  
Tollat et aeternae condant noua saecula salutis."

55 Talibus auditis Iabitae gaudia plausu  
Dauid laudatur Testati referunt: tanti moderamina regni  
Apta magis nulli praeter Dauidam fuisse.

Conueniens etenim cunctis iustumque uideri,  
Vt praesit populo, qui uincit uiribus omnes

60 Et pietate uiros, qui magnum caede Goliath  
Sustulit, hostilem qui uictor saepe phalangem  
Siue dedit letho seu uertere terga coegit  
Quique sibi infestum uoluit uitare tyrannum,  
Perdere quum posset, ueneratus regia sceptrum

65 Sacratumque caput. Post talia plurima dicta  
Legatis portanda nouo dant munera regi  
Haud temnenda quidem. Laeti redire suoque  
Legati referunt, fuerant quae gesta, tyranno  
Ordine quaeque suo largitaque munera promunt

70 Regis liberalitas In medium. Socios ea rex partitur in omnes,  
Ex opibus nihil esse suum regnique bonorum,  
Hoc unum dicens, ut cunctis imperet unus,  
Velle sibi proprium, se caetera caedere plebi.

Auaritia O quam dissimiles, quorum insaturata Caribdis

75 Publica ubi exhausit, quaerit priuata uorare.  
Iudicio iniusto nitens, non legibus aequis!

Isbosethus Isbosethus erat Saulis clarissima proles.

Hunc regnare uolens praefectus militiae  
Abnerus, reliquis tribubus suadere solerti

80 Conatus studio, pompis regalibus ornat.  
Ille quater denos uiuens impleuerat annos,  
Quum talis regni moderari coepit habenas  
Et regere imperio Galaadas Gessuriosque  
Et Beniaminas gentes et Iezrahelitas

85 Israhelique omnem. Domus unica Iuda fauebat  
Dauidi, magna qui tunc Hebronis in aula  
Sex menses septemque sui moderaminis annos  
Exegit, placidam fatis sibi flantibus auram.

Pugna inter Iobabum et Abnerum duces Audax interea cuneos Abnerus  
agebat

90 Per Gabaonis humum. Dauidis castra Iobabus  
Mouit in aduersum Gabaonis ad usque lacunas.

Ambos exiguus paruo discrimine campus  
Separat et spacio diuersos diuidit arcto.  
Consedere loco. Leuibus procurrere primum  
95 Inter se pugnīs, Abnero ad bella uocante,  
Incipiunt acies. Bis senos altera misit  
Turma uiros totidemque effuderat altera contra.  
Vi numeroque pares congressi tela feroces  
Vtrinque intorquent, mox iunctis comminus armis  
100 Vrgent obnixi, consertis uulnera scutis  
Iam breuibus siccis agitant, angustia longos  
Non patitur gladios. Pariter miscentur in unum  
Victores uictique globum spaciumque cadendi  
Defuit in medio caesis, subsistere firmae  
105 Dum poterant uires circumnitentibus ultra.  
Inde fere aduersis ceciderunt ictibus omnes.  
Vsque adeo interimi potius quam cedere cunctis  
Mens simul una fuit. Tanta ne gloria caedis  
Aeuo fracta cadat, campum certaminis huius  
110 **Campus robustorum** Campum dixerunt tunc nomine robustorum,  
Nunc quoque seruantem pugnae monumenta uetusta.  
His ita con fractis surgunt hinc inde repente  
Praelia: totae acies, castris post terga relictis,  
Concurrunt pariter. Superat Daudica turma  
115 Aduersosque fugat, fugientibus ingerit hastas  
Saxaque prensa manu aut fundae uertigine torta.  
Pars percussa cadit, celeri pars euolat ultra  
Lapsa fuga atque ipsos etiam metus urget inertes.  
Abnerum tunc forte ducem ducis ipse Ioabi  
120 Frater pone sequens, Asahel, premit, ille retorta  
**Asahel cadit** Post tergum facie clamat: "Diuerte uolatum  
Hunc alio atque alios, Asahel, comprehendere cura.  
Quos modo despolies, ne te mea dextera telis  
Irritata tuis cogatur tradere letho  
125 Offendamque tua germanum caede Ioabum!"  
Surdus hoc Asahel concludens auribus urget  
Cursu terga uiri. Conuersus protinus ille,  
Aduersa rapide uenientem perculit hasta  
Visceraque inguinibus fluxerunt cuspide apertis.  
130 Sic Asahel periit, cuius quoque caede sequentes  
Turbati cursum sistebant atque dolore  
Affecti nimio lugebant funera noti  
**Asahelis pernicitas** Eximia uirtute uiri, qui cursibus ipsas  
Siluestres capreas uenando aequare solebat  
135 Atque anteire canes. Nocuit tamen ecce misello  
Pernices habuisse pedes. Fortasse caueret  
Dirae tela necis, si corpore tardior esset.  
At post Abnerum properare Ioabus Abisasque

Exurgunt pariter, fraternae caedis acerbi  
140 Vltres, nisi nox finisset bella, futuri.  
Tunc iuga tuta superscandens Abnerus, et illos,  
Qui reliqui fuerant, ad se collegit et inde  
Victorem alloquitur blando sermone Ioabum:  
Abnerus ad Ioabum "Quonam hic usque tuus perget saeuire, Ioabe,  
145 Districtus gladius? Nullumne relinquere uiuum  
Decernis penitus? Sed desperantibus una  
Velle mori fiet collato Marte uoluntas.  
Si uinces, uinces magna cum strage tuorum,  
Si uictus fueris, uictum te nonne pudebit  
150 A uictis? Desiste igitur reuocaque phalanges  
Iam cessent urgere suos certamine fratres  
Et tandem parcant cedentibus atque fugatis!"  
Ioabus respondet His placide auditis sedata mente Ioabus  
Respondit: "Si me rem talem, Abnere, petisses  
155 Principio pugnae, cognato nemo cruore,  
Me prohibente, manus foedasset. Criminis autor  
Quis fuerat nisi tu, qui uoce lacesere nostros  
Ausus es et primus ciuilia bella mouere?  
Nunc si forte piget te tales aedere pugnas,  
160 Et me, Abnere, piget." Dixit iussitque maniplos  
Ad sua dimisso certamine castra redire,  
Inspirans tumidis resonantia cornua buccis.  
Dux Abnerus iter Moabitica uertit in arua,  
Per campos sub nocte means peruenit ad amnem  
165 Iordanis facilisque uado caua flumina transit.  
Omnes lustrato properatis passibus agro,  
Cui nomen Bethoron erat, tentoria uelis,  
Isbosethe, tuis subierunt tecta dolentes,  
Sexaginta uiris amissis atque trecentis.  
170 Ex acie uictrice tamen bis corpora dena  
Caesa modo, ipse Asahel si sit numerandus in istis,  
Quem ducis Abneri fugientis dextra peremit,  
Ante alios celerem et fraterno sanguine Abisae  
Coniunctum notoque simul uirtute Ioabo.  
175 Hunc illo extinctum bello studuere gementes  
Ad natale solum Bethlemaque tecta referre  
Et positum patrio digne decorare sepulchro.  
Nocte autem tota uictor ductorque Ioabus  
Quum fecisset iter, coepisset et aurea uultus  
180 Mane Ostentare suos tenebris Aurora fugatis  
Eoa de parte poli lucemque propinquam  
Solis puniceo iam praemonstrare colore,  
Ipse cohorsque simul subierunt tecta superbae  
Hebronis gratesque deo laudesque canendo  
185 Dauidi, cui sacra suas Victoria palmas

Porrigit et solio sublimem collocat alto.  
Acre autem certamen erat cum Saulis iniqua  
Stirpe diu, sed fata deo statuente secunda  
Iesseo generi, Daudid successibus usus  
190 Proficit inque dies magis amplum reddere regnum  
Festinat lateque suum diffundere nomen.  
**Comparatio** Ac ueluti Megaris in campis promere fructus  
Vere nouo foecunda suos cum cernitur arbor,  
Paulatim fluido descendunt corpore flores,  
195 Donec humi cuncti labendo linquere culmen  
Cogantur canoque tegant uelamine terram,  
Gaudet at illa suos pomorum crescere foetus,  
Sic Saulis labente domo Daudica uirtus  
Altius exurgens se supra sydera tollit.  
200 **Daudidis uxores cum liberis** Praeterea sobolis generandae copia regi  
Larga datur, cunctis uni famulantibus astris.  
Achinoeque illi pariens Ammona profudit,  
Abigail Chelebum, Tholomai filia Macha  
Absalona comis insignem atque ore decorum.  
205 Ex Agita genitus quartus post hos Adonias,  
Saphacias quintus, proles noua matris Abithae,  
Sextus Hietramus, genitrix quem protulit Egla.  
Tot natos totidem Daudid Hebrone dedere  
Vxores grauidam soluentes partubus aluum.  
210 Quumque alias transferre tribus rex magnus Olympi  
Ad pia Iesseidae Daudid regna pararet,  
**Abnerus** Contigit, ut Veneris stimulis Abnerus adactus  
Iret in amplexum Resphae, charissima quondam  
Quae fuerat Sauli coniux. Indignius istud  
215 **Isboethus ad Abnerum** Isboethus habens inquit: "Talesne referre  
Curasti grates meritis ingentibus in te  
Officiisque mei multis, Abnere, parentis,  
Illius qui iura thori confuderis ultro  
Turpi concubitu foedaeque libidinis usu?"  
220 Talibus Abneri irritantur pectora dictis.  
Obiectum purgare scelus nil curat et alte  
Erectum quassat caput indignataque uoluens  
**Abnerus respondit** Lumina turbato fertur sic ore locutus:  
"Isboethe, nimis parui me pendis, ob istud  
225 Qui me damnandum facinus, quasi grande, putasti.  
Scilicet indignum est bellum pro rege gerenti  
De tot pellicibus regis si iungitur una?  
In me dona patris quum pensas, cur mea muto  
Ore pericla siles? Ductorem fecerat ille  
230 Si me militiae, nunquid non rexerit idem  
Imperium uirtute mea protectus et armis  
Contemptuque meae uitae assiduoque labore

Bellandi regnumque suum finesque tuendi?  
Te post fata patris super alta sede locaui  
235 Haeredem regni successoremque paterni.  
*nota* Officium tamen omne perit, quod fertur in illos,  
Quos acceptarum reddunt obliuia rerum  
Ingratos. Valeas tandem cum moribus istis  
Iamque alium tibi quaere ducem, me desine habere!  
240 Immo ego dispeream, nisi fata fauentia regi  
Dauidi totis animis opibusque iuuabo,  
Vt regnet, regnare deus quem iusserit ipse!"  
Isbosethus humi perceptis talibus ora  
Pallida deiecit linguaque silente recessit,  
245 Hiscere non audens Abneri territus ira.  
Ille autem misit pacem ab Dauide petitum  
Colloquique fidem. Respondit Dauid amicum  
Se fore perpetuum, si secum forte Micholam  
Adducat ueniens, quae theda iuncta iugali  
250 Prima sibi fuerat, centum licitata resectis  
Inguinibus magnoque suae discrimine uitae.  
*Abnerus transit ad Dauidem* Exin Abnerus Saulis genus omne reliquit,  
Ad Dauida pium studiis conuersus amicis.  
Ergo fauens illi blandis affatibus omnes  
255 Solicitare tribus coepit mollique precatu,  
Sed Benjaminam cura maiore uocare  
Ad Iudae partes, diuino numine lectae,  
Israhelitani ut gestet diademata regni.  
Ex qua nunc primum Dauid decernitur unus,  
260 Sic dicente deo: "Sceptrum Dauide tenente  
Israhelitarum populum saluabo fidelem.  
Arma Palaestinae non illum laedere gentis  
Nec uis ulla uirum poterit tectusque fauore  
Ille meo semper uincet, confinia regni  
265 Proferet ulterius, sumptis metuendus in armis."  
Consensere tribus, Dauidis fata sequendi  
Abnero dedidere fidem. Rebusque peractis  
Abnerus Dauida petit, translatus ad urbem  
Hebronem, latus illius comitante caterua  
270 Quinque quater iuuenum. Veniens nihil ante locutus  
*Michola redditur Dauidi* Quam Phalto ablatam, gratissima dona,  
Micholam  
Offerret regi. Phaltus seruare pudice  
Hanc studuit totos, quos secum exegerat, annos,  
Atrox esse sciens alienam tangere crimen  
275 Vxorem uiuente uiro. Quare ipsa marito  
Multum chara fuit Dauidi, amplectitur illam  
Iniectis collo manibus labrisque labella  
Insertans, optata diu sibi basia libat.

**Conuiuium** Cumque suo Abnerum comitatu suscipit amplis  
280 Porticibus. Sedere hilares. Triclinia plenis  
Lancibus et pateris Baccho stipantur onustis  
Aggeriturque Ceres. Rebus pascuntur opimis  
Pro se quisque uiri, propinant pocula regi  
Certatimque illi dicunt felicia uota,  
285 Imperet ut populo saluis per saecula rebus  
Et plebi semper charus, metuendus et hosti.  
Sic epulata diu sessorum turba, remotis  
**Abnerus ad Dauidem** Exurgunt mensis, sed adhuc Dauide sedente  
Incipit Abnerus: "Grates tibi soluere dignas  
290 Quis potis est, o rex? Porro, quod possumus, hoc est:  
Nos et nostra modo tibi subdimus. Insuper ibo  
Inducamque tribus tua iam sub sceptris fideles,  
Omnibus ut praesis, superas qui uiribus omnes  
Corporis atque animi, cui caelum sydere dextro  
295 Aspirat praesensque deus quem numine complet."  
His dictis regi dat dextram et foedera sancit  
Teste deo iuratque fidem sine fraude perennem,  
Donec uitales uiuendo carperet auras.  
Iam discedentem Dauid deducit amici  
300 Officio fungens, pariter gradiuntur ad usque  
Valuarum spacium et extremae limina portae.  
Ille "Vale" dicto, turba comitante, recessit.  
Ecce autem uictor caeso latrone Ioabus  
Cum spoliis praedaeque redit, delatus in urbem.  
305 Audiit Abnerum blande cum rege locutum  
Excessisse recens curaque accensus acerba  
**Ioabus ad regem** Exclamat: "Quaenam te, rex, fiducia fecit  
Incolumem sinere ire tuis ex aedibus hostem?  
Hanc Abnerus enim quare penetrauerat urbem?  
310 Nonne uolens dare uerba tibi? Tum discere, quicquid  
Ipse agites rerum, quantos concire paratus  
Moliris. Quibus inspectis ad tuta recessit."  
Haec fatus regi, coepit secreta Ioabus  
Voluere consilia. Emisit, qui nomine regis  
315 Abnerum reuocet dicens superesse, quod illi  
Dicere secreto rex uellet. Nescius ergo  
Ille Ioabinae fraudis, regressus in urbem  
**Abnerum perimit Ioabus** Venit. At exceptum laeto satis ore salutat  
Seque arcana loqui simulauit uelle Ioabus  
320 Indeque semotum confodit. Corruit illic  
Accepto incautus transfixa per ilia ferro,  
Non uictus uirtute uiri, sed fraude nefanda  
Infidae mentis cordisque ad iniqua maligni.  
Hoc immane scelus quum rex audisset, iniqua  
325 Mente tulit gemituque graui de corde uoluto,

Dauid maledicit Ioabum Moestus ait: "Testor diuumque hominumque parentem

Me regnumque meum commissi criminis huius  
Non esse autorem, nec iniquae conscia caedis  
Corda tulisse unquam. Veniat uindicta Ioabum

330 Infidum supra morbisque infecta nepotum  
Corpora conspiciat, corrupti sanguinis aegra  
Profluio et sanie squalentis putida leprae!  
Non desint illi, quos panis inopia uexet  
Consummatque fames aut bellicus hauriat ensis!

335 Vt uero Abneri celebrari funera uidit,  
"Scindite" ait "uestes, lugubres sumite saccos,  
Tristibus Abneri mortem lugete querelis,  
O socii, fortisque uiri decorate gementes  
Funus et exequiis dignos praestate dolores!"

340 Sic dicens sequitur prona ceruice feretrum,  
Pulla ueste caput tectus, suspiria ducit  
Humentes tergens oculos. Hoc caetera plebes  
Ore habituque simul regem comitatur euntem.  
Atque ubi depositum tumulo texere cadauer,

345 Plebs iterat fletum, lachrymis rex infit obortis:  
"Nunc, Abnere, iaces uultu seductus amico  
Infidaque fide. Tamen hoc solamen habeto:  
Non tibi uincla manus strinxerunt, ferrea suras  
Non tetigit compes. Praestantis militis instar

350 Occumbis liber, lethali saucius ictu.

nota Capta dolis uirtus laudem non perdit et illum  
Indicat imbellem, libuit cui fraudibus uti."

Quum conclamato remeassent corpore, Dauid,  
Sic uelut in procerum magnorum morte dolenda

355 Mos erat, indixit, nequis sua pabula gustet  
Ore prius, quam Solis equos demergier undis  
Viderit Oceani et stabulis se condere in imis.  
Talibus indiciis patuit non rege uolente  
Abnerum gladio saeui periisse Ioabi.

360 Et licet ipsius germanum sustulit ille,  
Sustulit in bello urgentem urgentique resistens.  
Ergo non ideo compostae tempore pacis  
Iam cum rege simul decuit saeuisse Ioabum  
Vindictamque dolis et turpi fraude petisse.

365 Nuncius hunc rumor casum portauit ad aures,  
Isbosethe, tuas. Poteras gaudere repentini  
Caede uiri, cuius metuebas territus iram  
Supremasque minas. At te doluisse uetusti  
Annales memorant. Sed forsitan plebe dolente

370 Tu tristem laeto fingebas corde dolorem.  
Nil iuuat finxisse tamen. Dauida parabat

Israhelitarum gens omnis condere regem.  
Vnum omnes legere sibi primique cohortis  
**Bannaas et Rechab perimunt Isbosethum** Isbosethanae ductores, Rhemmone  
nati,  
**375** Fugerunt Gethaim, Bannaas atque Rechabus.  
Inde rati gratam Daudi Iesseidae rem  
Sese facturos, peregrina ueste latentes  
Intrarunt urbem Isbosethique penates  
Iam medio feruente die, super alta iacentem  
**380** Stragula defixo perimunt intra inguina ferro  
Sublatumque caput secum sub ueste tulere  
Hebronem regi Daudi. Protinus illo  
Conuento promunt manibus disecta cruentis  
Ora palam. Simul "Ecce" aiunt "caput Isbosethi  
**385** Afferimus, nostro dudum mucrone recisum,  
Qui tuus hostis erat, cuius mens emula regni,  
O rex magne, tui te pellere sedibus istis  
Tentabat, nunc bella ciens, nunc fraudibus utens,  
Vt te sublato tribulum quoque scepra tuorum  
**390** Arriperet solus. Sed qui tibi regna parauit  
Tradere tota deus, Saulem iam sustulit ille  
Progeniemque omnem: tutus dominabere terris."  
**nota** O spes uana hominum, quorum mens impia credit  
Perfidia reperire fidem dominisque placere  
**395** Posse aliis, quum fraude suos factisque malignis  
Prodiderint, nulli chari gratiue futuri!  
Isto igitur multum turbatus crimine Daud  
Haec responsa dedit, regali examine digna,  
**Daud ad parricidas Isbosethi** Aequo digna foro: "Nescitis, Saulica  
caedes  
**400** Quanto illi exitio fuerit, qui primus ab altis  
Gelboae siluis properans uenit Sicelechum  
Ac simul ipsius miserandum rettulit ultro  
Ille mihi casum, se laeta et prospera credens  
Enarrare nouo tristi de morte relatu?  
**405** Hic igitur sperans ex his se praemia uerbis  
Laturum, merita subiiit supplicia mortis.  
Nonne magis talem mulctam persoluere digni,  
Innocuum qui caede uirum sunt tollere adorti  
Hospitiumque eius penetrantes, forte cubantem  
**410** Atque graui pressum somno uexare piumque  
Sunt ausi truncare caput truncumque prophana  
Contrectare manu atque oculis proponere nostris  
Spectandum? Veluti sceleris spectacula mentem  
Oblectare meam possint hominemque iuuare  
**415** Impia facta pium! Pereant, qui perdere regem  
Non timere suum, mortem pro crimine pendant!



Poena affecti parricidae Extemplo caesus uita priuatur uterque  
Amborumque simul palmas plantasque recisas  
Arbore suspendunt, Hebronis iuncta lacunae  
420 Quae fuit et late ramorum brachia pandens  
Vmbrabat uirides frondoso germine ripas.  
Isbosethi autem, ne mortis honore careret,  
Depositum tumulo condunt caput Abnerino.  
Post haec quaeque tribus primates mittere lectos  
425 Ad Dauida studet. Veniens Hebronis in urbem  
Tota cohors, coram Dauide sedente locuta est:  
Principes tribuum ad Dauidem "Salue, Iuda tribus quo nunc laetatur  
alumno,  
Cuius se uirtute effert! Nos caetera plebes  
Nonne simul tecum magni proles Iacobi  
430 Progeniesque sumus, cognato sanguine fratres  
Censendi pariter? Quare consensibus omnes  
Te paribus petimus poscentes, omnibus unus  
Vt praesis regnique regas totius habenas.  
Israhelitarum tibi certe sceptrum deum rex  
435 Decernit dicens: 'Bethlema natus in urbe,  
Ipse meum populum Dauid tueatur et ipse  
Praesideat cunctis, ipsi mea dextra fauebit'  
Hinc tecum fidei stabilis modo foedus inimus  
Omnes uno animo, te tandem chrismate sacro  
440 Vngimus, ut dextro fatorum numine regnes."  
His dictis illum prompto diapasmate regem  
Exunxere palam, toto plaudente teatro.  
Insonuere tubis rauco clangore Leuitae.  
Cymbala cum cytharis, cum systris tibia cantus  
445 Multimodos fudere simul cecinitque sacratos  
Turba sacerdotum modulatis uocibus hymnos.  
Deduxere alii per compita lata choreas  
Saltibus et uario cursu uarioque recursu.  
Semita quaeque iocis et lusu feruere laeto  
450 Cernitur, ipsa polo ridebant astra sereno.  
Ridebat placidis mitis Neptunus in undis,  
Risit humus uario florum depicta colore  
Vberiusque suo pascens animantia foetu.  
Inde tribus totis conuiuia facta diebus  
455 Dauidis magna magni iam regis in aula  
Ingenti semper potusque cibique paratu.  
Quae si quis narrare uolet per singula, certe  
Totum pene diem fando consumat oportet.  
Tot res tam uariae lauti rarique saporis  
460 Tunc illas regis mensas onerasse feruntur.  
Dauid totius sumpto diademate regni.

Dauid de Hebrone ascendit Hierosolimam Cunctarum tribuum lectis  
comitantibus illum  
Principibusque uiris, gradiens Hebrone relicta  
Peruenit Solymas. Iebusei claudere portas  
465 Iebusei Ausi aiunt: "Te certa uetant responsa deorum  
Has intrare domos, quorum simulachra superbus  
Caeca et clauda uocas. Si nos modo uincis, et illa  
Te uicisse puta." Dauid conuersus ad arcem,  
Quae collis prouecta iugo supereminet urbi,  
470 Hanc superat primoque capit conamine. Dicta  
Arx Syon Ante Syon fuerat, tunc arx est coepta uocari  
Dauidis. Sanctam post haec ingressus in urbem  
Iebusei pelluntur ab urbe Victos eiecit Iebuseos, signa deorum  
Sustulit euertens. Atque inde paroemia nata:  
475 Non intret claudus templum nec lumine captus.  
Vrbs fuerat tunc dicta Iebus de nomine plebis  
Ante Salem, demum coniuncta uocabula sanctam  
Hierusalem interpretatur Pacis uisio Hierusalem fecere simul. Quae  
nomina pacis  
Propterea sortita fuit, quia Christus in illam  
480 Sic uenturus erat, diuinam ut mitiget iram,  
Conferat et uitam mortalibus ipse perennem.  
Iesseides arcem muralibus undique septis  
Muniuit, sed parte magis consurgere fecit  
Saxorum molem, qua pronior hostibus esset  
485 Accessus facilisque magis subeuntibus illa.  
Hic posuit sedem, belli successibus usus,  
Auxit opes uiresque. Fouens deus affuit illi,  
Ipse deus Dauidam suum tutatus et arcem,  
Cogebat uictas illius sub iuga gentes.

## <Liber VIII>

### ARGUMENTVM

Regum lib. II, cap. V. Hiramus, rex Tyri, misit Dauidi materiam ad regiam aedificandam. Dauid accipit adhuc alias uxores. Palestinos superat in Raphidin. Iterum uenientes eos ibidem cecidit. VI. Reduxit arcam a Palestinis redditam. Oza labentem arcam tetigit et mortuus est. Deduci iussit eam Dauid in domum Obededom. Postea reduxit in urbem. Michol ludenti regi ante arcam exprobrans damnatur sterilitate. VII. Paranti Dauidi templum construere dominus per Nathan prophetam dixit, quod non ipse, sed filius eius positurus sibi esset templum. VIII. Dauid concidit Palestinos. A Moabitis exegit tributum.

Fregit Adadeserum, Sobae regem. Equos eius subneruauit. Fregit Syros fecitque tributarios. Cum spoliis Adadeseri rediit Hierosolymam. Thou, rex Emath, gratulatur ei de uictoria aduersus Adadeserum. Vastauit Idumeos. Ioab erat dux militum.

## Lib. VIII

Rex fuit Hiramus Tyriae memorabilis aulae.  
Diuitiis armisque potens. Virtusque decusque  
Huic notum Daudis erat. Talemque fideli  
Conciliare sibi properabat foedere amicum  
5 Atque illi Solymis iam regia tecta paranti  
Condere sensuras nulla aeui incommoda cedros  
Aeternasque trabes preciosaque marmora misit  
Nauibus impletis et ad illa dolanda sagaces  
Atque struenda uiros. Pro magno munere Daud  
10 Haec capiens parto magis est gauisus amico.  
Laetus agit grates et mutua dona remittit.  
*Regia Daudis aedificatur* Interea struitur domus ipsi congrua regi.  
Fundamenta locant, patet ingens area largo  
Complexu, iam saxa trahunt cementaque malta  
15 Miscentur, surgit propero molimine murus.  
Tigna ligant. grauibus subdunt laquearia tectis,  
Imbricibus positis tegularum finditur ordo,  
Prona per impluuium caelestis flumina lymphae  
Vt possint puteos labendo implere capaces.  
20 Atria marmoreae circumdant lata columnae,  
Quas superiniecti praesserunt fornicis arcus.  
Stat testudinea subter caua porticus umbra,  
Hic asarota nitent uariis distincta figuris  
Picturasque suas paries crustatus ophite  
25 Et Phrygio et Parii monstrat candore lapilli.  
Portarum spacium solidis consistere pilis  
Mirari poterat, nisi saxa ingentia docti  
Artificis superasset opus, qui scalpserat omnem  
Progeniem Iudae, deductam tempus adusque  
30 Virginei partus nostrique crepundia Christi.  
Cernere erat uiuos non uiuo in marmore uultus  
Molliaque in duro consurgere membra metallo  
Motu quaeque suo et mutas expromere uoces.  
Quod si saxa loqui possent, ea posse putares.  
35 Accepit reliquas tandem noua regia partes:  
Andron et exedras, gynecia, septa, dietas  
Erectosque gradus, diuersa cubicula, longe  
Lateque effusas aulas crebrasque fenestras.

Clatratas ferro quasdam. quasdanque patentes  
40 Cum podiis. Numerare graue est illa omnia, nedum  
Enarrare decus rerumque exponere formas.  
Quis fictas pictasque ualet comprehendere dignis  
Effigies uerbis? Hic prata uirere uideres,  
Illic perspicuis fontes decurrere lymphis,  
45 Per nemus ire feras, pecudes per pascua mutas.  
Hic uolitare alias liquidumque per aera ferri  
Conspiceres uolucres, alias insidere ramis  
Arboris et summae requiescere uertice siluae.  
Hic urbes, hic rura, casas, mare, flumina, montes  
50 Atque hominum simulachra modis spirantia miris,  
Grandia non grandi spacio comprehensa uidentur.  
Praxitelis Lysiaequae putes sculptilia tota  
Esse manum, Zeuzis tabulas opus, aut Agatharchi,  
Aut, ars ista magis quem commendauit, Appellis.  
55 Hae tamen effigies fuerant non mollis amoris  
Aut luxus exempla mali, sed multa colendae  
Virtutis species ueterum collecta uirorum  
Et stimuli ad ueram laudem famamque perennem.  
Quumque forent cunctis exactae in partibus aedes,  
60 Seu formam, seu quis precium bene computet, illis  
Dauidis laus Plus fulgere sui tunc uisa est gloria regis,  
Regis, cui nemo bello conferre gerendo  
Israhelitarum neque cultu numinis alti  
Se poterat, rebus praestabat talibus omnes.  
65 Taliaque ingresso pallatia maius habebant  
Comparatio Ipsa sibi pondus. Veluti quum fulua micantem  
Accipiunt multo splendore metalla lapillum,  
Non aurum gemmae precium facit, illa sed auro  
Multo plus lucis confert, plus addit honoris.  
70 Firmato imperio genus ipsum augere uacabat,  
Successor sceptro ne desit stemmatis huius  
Atque domus semper generet Iesseia reges.  
Ergo uolens Dauid prolem proferre, maritas  
Ducit adhuc alias. Solymis quoque pignora plura  
75 Dauidi nati Hierosolymis Quam prius Hebrona genuit foecundus in  
urbe.  
Samua nomen erat primo Sobabque secundo,  
Nathan post illos, Salomon quoque pacis amator,  
Iabir et Helisua et Nepheg liberque Iophias  
Helisamasque, dei speculator, et Heldas acutus,  
80 Perfidus Heliphelech horum postremus habetur.  
Fama Palestinas uolitans penetrauit ad oras,  
Israhelitani quod tandem insignia regni  
Assumpsit Dauid, Bethlema natus in urbe.  
Posse nouum facile uinci certamine regem

85 Spes erat atque suis submoto finibus urbes  
*nota* Inde capi pauidas. — O quam contraria rebus  
Speratis persaepe pati fiducia mentis  
Inconsulta solet rationisque indiga uirtus!  
Ergo quam primum contractis uiribus arua  
90 Armati Iudea petunt, bellique tumultus  
Tam subiti Dauida mouet: parat arma suosque  
Tutari fines disponens consulit aras  
Atque optata capit palmae responsa futurae.  
His fretus conferre manum festinat et hostis  
95 Castra sedere uidens Raphaimae proxima ualli,  
Dirigit illo aciem fulgentesque aere maniplos.  
*Dauid uictor* Irrumpens primo disiectos impete fudit  
Insequiturque fuga elapsos, dat plurima letho  
Corpora, nec paucos comprehendit uulnere ab omni  
100 Illesos, quos ipse tamen iuga ferre subegit  
Seruitii. Victor rediens et castra reuisens,  
*Dauid gratias agit deo* Laetus ait: "Grates tibi, mundi rector et autor,  
Qui gentes mihi subdis, ago, simulachra colentes  
Humana fabricata manu, te quippe fauente  
105 Impia commissa dispersimus agmina pugna,  
*Comparatio* Dispergi spumosa solent ut terga liquentis  
Aequoris, acta suo quum pinus nautica uento  
Sulcat iter scissique simul dant murmura fluctus,  
Donec eam curuus permenso gurgite portus  
110 Excipiat tutaque locet statione receptam."  
Haec ille. Inde loco posuit uictoria nomen  
*Baalpharasim* Parta Baalpharasim: diuisos sonat hostes  
Vox ea Iudaicis olim sic aedita uerbis.  
Tum pius expulso Dauid de finibus hoste  
115 Direptisque simul castris, simulachra deorum  
In medio dimissa uidens collegit et igni  
Omnia conflauit, nequis deceptus inani  
Religione deos Hebreus adoret ahenos.  
Praeterea pudit pulsos uictosque fuisse  
120 Marte Palestinos, rursum tentare parabant  
Fortunam belli. Reparatis uiribus ergo  
Implerunt iterum Raphaimos milite campos.  
At uero Dauid, dum nil decernit agendum,  
*Responsum a deo accipit* Donec certa dei discat praecepta, monentem  
125 Audit, si uicto tandem cupit hoste potiri,  
Non eat aduersus contra, sed laeta pirorum  
Ingressus nemora, a tergis inuadere pergat,  
Nec tamen ante suos pugnae committat, ab altis  
Quam rumpant sonitus siluis. Ea signa daturum  
130 Illi se dixit capiendi ex hoste trophei.  
Ipse ita, ut admonitus fuerat, perfecit et alas

**Dauid iterum uictor** Irruit hostiles fatoque fauente fugauit.  
Terga sequens, campos fugientum caede repleuit  
Per Gabaonis humum, fines regionis adusque  
**135 Nox** Gazareae longe. Fuscis nox aduolat alis  
Victoresque sequi uictos non pertulit ultra  
Et statuit caedis finem cum fine diei.  
Latius haec geminae uulgatur adorea palmae  
Dauidemque diu timuere lacescere bello  
**140** Quanuis audaces uicinae in praelia gentes.  
A bellis igitur uacuum, flagrauit amore  
Diuini cultus animumque induxit, ut arcam  
Foederis, Hebraeae donum memorabile genti,  
A Gabaone ferens ad sanctae tecta Syonis  
**145** Perducat, pulchro sub papilione locandam.  
**Arca foederis** Arca erat haec ligno mire compacta setimo,  
Beseleelis opus, docti non Palladis arte,  
Sed dono meliore dei monitisque supernis.  
Quam pulchre factam per totum lamina fuluo  
**150** Aurea resplendens circumuelabat amictu.  
Quilibet ex auro formatos angulus orbes  
Pendentes habuit, quibus hinc illincque palangae  
Insertae extabant, ut quum foret arca mouenda,  
Suppositis humeris hanc possent ferre Leuitae.  
**155** Intra illam plenum sanctae uas fictile mannae  
Atque dei digito caelatae in marmore leges  
Conseruabantur, magni quoque palmes Aronis.  
Culmina erant spiris eiusdem cincta metalli,  
Quod reliquas omnes partes crustauerat arcae.  
**160** Calcabant utrumque latus simulachra duorum  
Pennigerum Cherubin: alis umbracula sparsis  
Larga dabant spacio, de quo responsa tonabant  
Certa dei, quoties peteret responsa sacerdos.  
Hanc arcam quondam Hebreis certamine uictis  
**165** Saeua Palestinas gens raptam uexit ad oras  
**Dagonis simulachrum corruit** Azothique domos. Quumque illam templa  
Dagonis  
Exciperent, quoniam cum sanctis stare prophana  
Non poterant, miseranda dei gentilis imago  
Corruit et fractis manibus ceruiceque trunca  
**170** Mansit humi mutilata silex et inutile saxum.  
Azothios etiam tumidae torquere mariscae  
Cooperunt circum stillantia podicis ora  
Visque ingens murum florentes occupat agros,  
Erodens auido fructus arbustaque morsu.  
**175** Sic solet irasci atque has exposcere poenas  
Offensum numen. Quibus est compulsa fidelem  
Perfida gens arcam plaustis efferre per urbes,

Nunc has, nunc illas. Sed enim quicumque receptam  
Admisere domi, haec ipsos eademque malorum  
180 Oppressit moles, donec data sacra fuere  
Bethsamae primum, Gabaonis ciuibus inde,  
Aminadabus ubi sua iam sub tecta sacerdos  
Intulit illa, pio semper ueneratus honore.  
Huc igitur ueniens multa comitante caterua  
185 Rex Dauid penitusque lares ingressus honestos,  
Submissa regem caeli ceruice salutat  
Cantatisque deo psalmis exegit, ut arcam  
Inde ferat secum. Sublatam curribus altis  
Quum traherent tauri per florea rura iugales  
190 Et regerent illos Haio simul Ozaque fratres,  
Pontificis magni pia proles Aminadabi,  
Ante arcam rex ipse simul, simul agmina regis  
Aedebant omnes solemnia cantica diuum  
Atque hominum domino, pulsando barbita plectris,  
195 Cymbala tenta manu, sufflatis cornua buccis.  
Tum bifores calamos tenuique canore cicutas,  
Instrumenta simul multa et praeclara sonabant  
Illo ipso quod docta docet modulamine Musa,  
Per rithmos distincta notis uariosque sonores.  
200 Aduenere locum, qui dicitur Area Nachor.  
Hic mugire boues atque in diuersa retortis  
Rictibus obniti, subita formidine pelli  
Et pedibus titubare uagis, subsidere flexis  
Oza interiit Poplitibus coepere simul. Tunc Oza misellus  
205 Sustentare sua nutantia scrinia dextra  
Conatus moritur totaque stupente cohorte  
Concidit exanimis, commoto numine supra  
Illicitum facinus, quia nulli tangere sancta  
Praeter sacro fuerat ius fasque Diali.  
210 Expauit Dauid diuini scita seuera  
Iudicii timuitque sua deponere in arce  
Hoc insigne dei et donum uenerabile Cherub.  
Obededon Obededon Getheus erat pietate fideque  
Nobilis ante alios, illi committere tale  
215 Tamque ingens pignus uisum super omnia regi.  
Ille domi acceptam diuini foederis arcam  
Religione colens multa sentire fauorem  
Numinis incoepit, uitae gaudere quiete  
Et magis atque magis rebus florere secundis,  
220 Donec peruolitans tantorum fama bonorum  
Iudeae regionis humum conscendit in aedes  
Iesseidae regis mentemque illius amore  
Illexit sacri iam intra sua septa locandi.  
Ergo transacto rex temporis orbe trimestri

225 Obededona petit. Sustollitur arca Leuitis  
Portaturque humeris populo plaudente simulque  
*Dauid ludit ante arcam* Vestibus in niueis aedente tripodibus rege  
Et pulsante lyram cantusque mouente sonoris  
Vocibus ante deum. Quoties processerat arca  
230 Bis ternos passus, toties subsistere iussis  
Bos, aries et ouis mactati sacra dabatur  
Victima. Seruatus talis fuit ordo gerendi  
Thesauri sancti. Qui quum penetrasset in urbem  
*Michol punitur* Iesseidae regis, prospectans pulchra Michola  
235 Turribus ex altis saltantem forte maritum  
Et sceptri positis insignibus atque remoto  
Purpureae uestis uelamine, uiliter ephod  
Tegmine contectum uidit mentisque superbae  
Vsa supercilio, submissi cordis honestos  
240 Gestus et multae studium pietatis in illo  
Spernere non timuit. Tanquam se regibus esset  
Subiecisse nefas, quoties redduntur honores  
Aethero regi diuumque hominumque parenti!  
Postquam deposita est intra tentoria sacro  
245 Arca uerenda loco, succensi thuris acerui  
Illuxere supra sancti libaminis aras.  
Mactatae pecudes sacrum fudere cruorem  
Incensensque deo ex illis holocausta sacerdos,  
Orauit pacem populo plebique fideli.  
250 *Dauidis pietas* Tum bona uerba pius cunctos diffundere supra  
Ocepit Dauid uotisque optare salutem  
Omnibus atque deum res implorare secundas.  
Finitis precibus panem partiuit in omnes  
Atque bolos assae carnis, similaginis offas  
255 Feruenti frixas oleo: diuisa uiritim  
Talia dona dedit. Post haec delatus in aedis  
Ipse suas, primae spaciose in limine portae  
Obuiat uxori cum laeta fronte Micholae.  
Illa aduentantem moesto satis excipit ore  
260 *Michol arguit regem* Atque his aggreditur petulantibus improba  
dictis:  
"Anne tibi laudi fuit, o rex, saltibus istum  
Expendisse diem scurrarum more togaque  
Seruili tectum discurrere teque uideri  
Esse unum uili de coetu mancipiorum,  
265 Qui populum regis imperio, qui sceptrum potentis  
Regni solus habes primoque potiris honore?"  
*Dauid respondet* Respondit Dauid: "Non sana mente repensas  
Dedita corda deo. Quis enim tam magnus ubique est,  
Vt, contemplatus caelum terrasque regentem,  
270 Se putet esse aliquid? Quare submittere si quem



Sese illi pigeat, me certe subdere nullus  
Est rubor. Ille tuum genitorem saepe proteruo  
Ore renitentem contempsit, iussit et idem  
Praeesse suo populo Daudem rebus egenum  
275 Atque animis humilem. Paruos extollere magnus  
Si solet ergo deus, nunquid seruire pudebit  
Ipsi me cordis totis affectibus uni?  
Atque utinam merear, qui multum polleo sceptro  
Israhelitano, regis, qui sydera torquet,  
280 Mancipium dici, uero uel nomine seruus!  
Hoc si nactus ero cum istis, quos ludere mecum  
Vna uidisti, solidae plus laudis habebo  
Quam pater ipse tuus tota cum prole suorum."  
His tunc auditis animo confusa Michola  
285 Hiscere non ausa est, muto stetit ore. Sed ipsam  
Michol sterilitate damnatur Mulctauit, mulctare solet qui iure procaces.  
Nunquam foeta fuit posthac optataque uentris  
Gaudia non uidit. Frustra complexibus usa  
Saepe uiri sterilem iussa est consumere uitam.  
290 At uero Daud, dum nullo laeditur hoste  
Et placidae peragit felicia tempora pacis,  
Mente agitare pia diuinum coepit honorem  
Daud uoluit aedificare templum Aedis condendae. Nathano denique,  
postquam  
Suspirasset, ait: "Cernis, sanctissime uates,  
295 Me magnas habitare domos, et marmore et auro  
Fulgentes rareaque noua compagine cedri,  
Et stare extentis sacram sub pellibus arcam?"  
Nathan propheta Protinus ille refert: "Daud, celeberrime regum,  
Hoc, quodcunque pio facinus sub pectore uersas,  
300 Perfecisse stude. Illabens penetralia mentis,  
Spiritus ipse tuos diuinus dirigit actus  
Et facienda docet numen caeleste fauendo  
Omni ex parte tibi." Iam Phoebus merserat undis  
Vesper Os nitidum, puro radiabant sydera caelo,  
305 Texerat umbra solum, pecudes hominesque sopora  
Nocte quiescebant, quando uox uenit ab alto,  
Ad uatem dicente deo: "Nathane propheta,  
Oraculum Vade, meo dicas Daudi, num dabit ille  
Templa mihi fabricata manu. Quo tempore Memphis  
310 Israhelitanam iussa est dimittere plebem,  
Ex illo me nulla suo domus imbrice textit  
Vobiscum gradientem monstrantemque sequente  
Plebe uias, anteire uiae quum signa iuberem,  
Sed quoscunque locos, quaecunque petiuimus arua,  
315 Tectus pellicei processi tegminis umbra  
Tergoreoque sinu. Praesentis adusque diei

Tempus ego nunquam sacram mihi condier aedem  
Quaesiui, cedroue domum uel marmore structam.  
Hoc quoque Dauidi referas, uolo, crastina quum lux  
320 Aduehet alma diem: 'Pecudis pannosus ouilis  
Pastor eras, quum te uolui praeponere regno  
Israhelitano et sceptri donare decore.  
Tecum semper eram, subieci uiribus hostes  
Ipse tuis nomenque tuum memorabile in omnes  
325 Effudi populos. Placidae nunc foedera pacis  
Te duce Iudeae ponam per saecula genti,  
Vrbes ut nemo duro uexare duello  
Audeat aut subitis uillas populare rapinis.  
Salamoni destinatum templum condere Tum demum post te germen  
seruabo receptum  
330 Seminis ipse tui, regnum firmabitur illi  
Perpetuum regnoque simul sublimius omni.  
Hic de te genitus templum mihi condet et aras,  
Semper pace fruens. Erga hunc ego munere fungar  
Officioque patris, donec seruabit amorem  
335 Ipse mihi fidisque colet mea numina sacris.  
Quin etiam si quid facti patrarit iniqui,  
Poenas ipse feret, domui rata pacta manebunt  
Nec, uelut ablata est regnandi a Saule potestas,  
Sic erit a uobis: sceptro gaudere perenni  
340 Fata tribum Iudam tandem uoluere uolentque! "  
Haec infusa suis ad regis transtulit aures  
Nathanus uates, tenebris iam Sole fugatis  
Mane Et iubare Eoi surgente a finibus orbis  
Ac terris spargente diem. Tunc Dauid amorem  
345 Erga se superi regis metitus adorat  
Ante arcam supplex submissoque ore profatur:  
Dauid ad deum "Qui sim quaeue domus mea sit, clarissime rerum  
Largitor genitorque deus, qui sanguine cretum  
Obscuro magni das luce nitescere regni?  
350 Nec satis est tribuisse mihi tam magna, nepotes  
Et genus omne meum simul haec in scepra reponis  
Atque, meis ego quae timuissem poscere uotis,  
Tu spondes ultro promissaque pandere uerbis  
Ipse mihi dignare tuis. Quis munera tanta  
355 Aestimet aut possit dignas tibi reddere grates?  
Humanas meritis superat tua gratia uires:  
Quicquid agam, minus est illo, quod debeo. Tu nos  
Ante omnes populos, ante omnes ponere gentes,  
O rex omnipotens, uoluisti. Dicimur inde  
360 Plebs populusque tuus. Tua quondam dextera fortis  
Oppressit Pharaona ferum. Dum perdere ferro  
Nos properat saeuus, uasta perit obrutus unda,

Vnda, tuo populo quae fundo cessit ab imo  
Et siccas diuisa uias fugientibus ultro  
365 Te mandante dedit. Tu per deserta uagantes  
E caelo dulci pauisti melle pluente,  
Potasti duro ductis de marmore lymphis  
Ora perusta siti, releuasti saepe grauata  
Tristi colla iugo. Toties metuentibus hostem,  
370 Praestantem numero atque armis, submittere nobis  
Tam facile uictum placuit tibi, quam fuit ille  
Difficilis uinci, nisi nos tua dextra iuuaret.  
Tu sanctas nobis leges ritusque dedisti  
Sacrorumque modum. Tu uatum corda piorum  
375 Inspiras, per quos nobis arcana reueles  
Consilia et casus certissima fata futuri.  
Tu nunc, magne pater, tua quae promittere uirtus  
Est dignata tuo Dauidi ingentia seruo,  
Dauidis domui sincero foedere firma  
380 Perpetuo nomenque tuum uenerabile nobis  
Effice sit semper, populo gentique benignus  
Propiciusque faue rebus sine fine secundis."  
Sic fundente preces ante arcam rege, leuatis  
In caelum manibus populus plaudebat et ipsae  
385 Effigies Cherubim pronis annuisse feruntur  
Vultibus et leuiter commotis omina pennis  
Laeta dedisse. Sacri mirantes talia mystae  
Aethero laudum cecinerunt carmina regi  
Turbaque sublatis respondit uocibus "Amen."  
390 Affuit inde deus Dauidi bella gerenti.  
Quattuor Dauidis uictoriae Quattuor insignem magnis dedit esse  
triumphis  
Victorem semper, nullo certamine uictum.  
Marte Palestinos primum superauit, et illos,  
Ante quibus magnum soluit Iudea tributum,  
395 Compulit aera sibi totidem numerare quotannis.  
Hinc Moabitarum non segnem in proelia gentem  
Edomuit sternens arces et moenia tota  
Praecipiens aequare solo, ne mente rebeli  
Arma animumque simul capiant uictique repugnent.  
400 Euphrates fluius Inde mouens acies Euphratis flumina uersus,  
Qui cursu stridente celer ruit Armeniosque  
Capadocasque secat, donec se fundat ad oras  
Occiduas, tandem, praeclusus rupibus altis  
Tauri, flectit aquas, tepidum conuersus ad Austrum,  
405 Ingredditurque Syrum siluas Arabumque paludes.  
Illo igitur Dauid collecto milite tendens  
Occurrit ualidis legionibus Adadeseri,  
Sobarum regis, nec pugnam distulit ultra.

Irruit in medios audax rerumque potitus,  
410 Praeter caesorum turbam praeterque fugatos  
Huc illucque uiros, captiuos mille recaepit  
Et septingentos equites hominumque pedestris  
Militiae (nec uana fides) bis milia dena,  
Et nisi seruitium nihil isti triste tulere.  
415 Sed quadrigarum cunctos (ut fama) iugales  
Suppermare iubens, numerum seruauit equorum,  
Sufficiens tantum qui centum curribus esset.  
Sic afflixit equos deuictis regibus olim,  
Israhelitarum quum duceret agmina Iesus.  
420 Hoc ab re factum ne credas, accipe sensus  
Eximios, miro uerbi uelamine tectos.  
Quare equi subneruati uel suppernati Cernis equum, quantum erecta  
ceruice superbit  
Et quantis idem stimulis agitur amoris  
In Venerem praeceps. Igitur suppernat equinum  
425 Ille animal, quisquis fastu prius usus iniquo  
Ad mites humilis morum conuertitur actus  
Et quem flammifero succenderat igne libido,  
Proponit castum iam conseruare cubile  
Affectus frenans recta ratione pudendos.  
430 Tunc quoque centenas raptas ex hoste quadrigas  
Seruitio regis decerni caedere dignum est,  
Quum uitae meritis de terra scandere caelum  
Hi iussi aeterno donantur munere regni.  
Leua manus quondam numeros proferre minores  
435 Quum soleat, semper centesima censio dextrae  
Transit ad articulos. Sunt autem dextera caelo  
Omnia, nec quicquam sentit sua uita sinistrum,  
Quem beat aetherii praesentia splendida regis.  
Illi ergo sperare licet tam grandia dona,  
440 Qui mala declinans turpis contagia luxus  
Ingressusque uiam uirtutis computat alta  
Mente deum semperque cupit coniungier illi.  
Quarta etiam Daudid fixit memoranda trophea  
Assyriis domitis, quos emisere Damasci  
445 Ditia regna, leues arcus et tela ferentes,  
Subsidium regi uicto semel Adadesero.  
Marteque commisso bis milia dena Syrorum  
Strata solo iacuere suo. Tum caetera pubes  
Herbam uicta dedit. Vectigal magna Damascus  
450 Pendere mox coepit, nimio compulsa timore  
Illius, euentus cui prospera fata secundos  
Omnibus in bellis pariter praestare solebant.  
Rex uero ingentem numerum tulit Adadesero  
Aeris et argenti, spoliatis urbibus eius,

455 Vna Beroth quarum uocitata est, altera Bethe.  
Thous rex gratulatur Dauidi Nobilis Emathi Thous rex Adadesero  
Hostis erat. Postquam uictum rescuit ab armis  
Israhelitanis, Ioramum mittere natum  
Curauit regi Dauidi, laetus ut ipsi  
460 Victori laudes meritas et munera ferret.  
Obtulit adueniens diuersi uasa metalli:  
Crateres auro fulgentes, aere lebetes,  
Argento lances. Incertum operisne decorem  
An precii summam spectantum coetus in illis  
465 Plus miratus erat. Dauid pro munere grates  
Persoluit multas, testes habiturus amoris,  
Quae donata sibi meminisset. At inde reuertens,  
Obuius armatae bis agmina fudit Idumes,  
Dauid uictor Valle Salinarum primo rursumque Gebellae  
470 Finibus. Atque loco referuntur utroque perempta  
Mille quaterque decem gentilis milia turmae.  
Vrbs quoque praesidium regis subiecta recaepit.  
Hostibus afflictis Dauid perduxit ouantes  
Ad patriam cuneos simul et peana canentes.  
475 Omnia uasa deo, spoliolum cuncta metalla  
Consecranda dedit temploque arisque futuris.  
Inde gubernandi statuens moderamina regni,  
Publica summarum distinxit munia rerum:  
Ioab Dux bellatorum fuerat princepsque Ioabus  
480 Saruiades, animo praesens et fortis in armis.  
Gestorum sed cura fuit conscribere fastos  
Iosaphat Sola Iosaphato, Solymis Achiludus in oris  
Quem genuit. Qui sacra dei ritusque colendi  
Sadoch Curarent, fuerant Sadochus, filius almi  
485 Achimelech Achitobi, et clarus uirtutibus Achimelecus  
Proptereaque patri charissimus Abiatharo.  
Illorum, qui iura fori litesque notabant  
Implendo uariis numerosa uolumina scriptis,  
Saraias Praeses erat ueterum Saraias maximus olim  
490 Banaias Interpres legum. Banaias, de patre natus  
Ioiaada, electus, scelerum qui cognitor esset,  
Vt capitis damnare reos et soluere posset.  
Filii regis Post regem regis natis reuerentia prima,  
Primus honos habitus, ueluti succedere regno  
495 Quos deceat patrio frenosque tenere regendi.

## <Liber VIII>

## ARGVMENTVM

Regum (lib.) II, cap. IX. Daudid Ionathae filio Miphiboseto agros auitos concessit et ipsum mensae suae participem fecit. Sibam seruum cum filiis terram illius colere iussit. X. Anon, Amonitarum rex, male accepit legatos Daudidis. Ioab fudit illius conducticios Syros. Daudid quoque Syros Adadeseri fregit. Sobabum militiae principem interfecit. XI. Ioabus uastat fines Amonitarum. Obsidet Rabbam. Daudid Bersaba, Vriae coniuge abutitur. Vriam interimi fecit. Bersaben uiduam accepit et ex ea suscepit filium. XII. Nathan arguit Daudidem de peccato. Illum penitet et dominus ignoscit. Daudid puero egrotante dolet, mortuo consolatur. Post quem Bersabe genuit ei Salomonem. Ioab expugnaturus Rabbam uocauit Daudidem, et ille ueniens capit Rabbam. Regis diadema tollit, populum trucidat, Hierosolymam redit.

### Lib. VIII

Saulis erat seruus tunc illic nomine Siba.  
Hunc accersitum rex percunctatus, an ullus  
Esset adhuc ipsa Saulis de gente superstes,  
Cui conferre aliquid posset modo muneris ipse,  
5 Ingratus ne quippe foret, protectus amici  
Excubiis Ionathae. Quauis iniuria Saulis  
Non minor extiterat, Daudid tamen esse uolebat  
Accepti memor officii oblitusque malorum.  
Miphiboseth Ionathae filius E Ionatha genitum percepit Miphibosetum  
10 Viuere, sed laeso quondam coxendice claudum  
Infirmumque pedes, Lodobari moenia qui nunc  
Incoleret clarique simul penetrare Machiri.  
Misit eo Daudid quosdam, qui limine ab illo  
Protinus eductum Solymarum sistere in urbem  
15 Curarentque suas pariter perducere in aedis.  
Huc ubi uenisset, tanti praesentia regis  
Terruit expavidum; prono prolabitur ore  
Atque pedum plantis haerens tremebundus adorat.  
Surgere mox iusso rex inquit: "Miphibosete,  
20 Daudid ad illum Ne timeas! En ipse tui probitate parentis  
Et meritis motus Ionathae, te sistere iussi  
Me coram. Multum nanque ipse obnoxius illi,  
Quem doleo amissum, tibi saltem soluere grates  
Fasque piūque puto. Quare gaudere paternis  
25 Te uolo, chare, bonis et auitae copia gazae  
Vt tua sit, iubeo. Mensae conuiuia perennis  
Ipse meae fies laribusque morabere nostris."  
Respondet Miphiboseth Ille uerecundo contra sic rettulit ore:

"Aeternum salue atque uale, fortissime regum!  
30 Haud ego me fateor tam multa ac magna mereri,  
Sed te magna decet largiri munera magnum,  
Sceptris apta tuis. Tantaе pietatis imago  
Fixa meae menti per saecula cuncta manebit,  
Gratia tam grandis toto memorabitur aeuo."  
35 Hinc libuit regi seruum compellere Sibam,  
Quo Saul usus erat, seruilem Miphiboseto  
Ipse operam praestet fundos atque arua colendo.  
Siba libens sese facturum iussa recaepit  
Seruiuitque diu studio curaque fideli,  
40 Dissimulans animum, quem tandem ostendit auarum.  
Quinque decemque illi nati, famularia turba  
Quinque hominum numero numerum superabat eundem.  
Cum grege Siba isto spaciosi iugera campi  
Nunc grauibus rastris, nunc curuo scindit aratro,  
45 Ingenti cumulans domini caellaria Baccho  
Et flauae Cereris largo granaria dono.  
Miphibosetus enim, cui Michas filius infans  
Haerebat, blando exercens puerilia ludo,  
Tunc Solymis posuit sedem, conuiuia laetus  
50 Daudis libans per tempora plurima regis.  
Ista pedum damnum poterant sarcire labantum,  
Si non Siba malus minuisset munera regis  
Atque magis cautus si scisset Miphibosetus  
Ipse sui serui fraudes uitare dolosque.  
55 Contigit ante aliud gratae memorabile mentis  
In Dauide genus. Saulis cum tela caueret,  
Praepes Amonitas adiit Naasque tyrannus  
Hospitio excepit fugientem, functus amici  
Munere non parui. Nunc illo morte perempto  
60 In regnum soboles eius successerat Hannon.  
Huic igitur studio legatos mittere grato  
Curauit Daud, qui tantum fata uicemque  
Amissi genitoris eo praesente dolerent  
Atque illi in regnum suffecto signa referrent  
65 Laetitiae et magnum iam testarentur amorem.  
Hannonem regni proceres, male cauta secuti  
Consilia, ambiguis iuuenem suspectibus implent.  
Legati Daudis Hannoni suspecti Haud illos animo missos, dixere,  
benigno,  
Sed fallente magis: non ut de morte parentis  
70 Solentur moestum, sed spectent, curia rerum  
Ipsius quid agat, quid tractet, denique regni  
Quis status externi, quae uis, inferre parantes  
Arma minus ualidis, sibi quenque subdere semper  
Imbellem cupidi, nec amicis parcere sueti.

75 Ergo noui regis mens talibus effera dictis  
Ius uiolat commune hominum. Legatio tuta  
Hostibus in mediis quum sit, comprehendere amici  
Legatos mandat, detonsis imperat illos  
Ad Dauida suum statim discedere barbīs

80 Succisique togis supra pubemque natesque.

nota Proh male multorum censendis prouida rebus  
Pectora! Quae ratio est suspectos plectere poena,  
Qua notos uerosque reos certamque repente  
Incertis praestare fidem? Sed discite tandem,

85 Quam praeue Hannoni talis uecordia cessit,  
Quam meruit magnas indigna iniuria poenas  
Vlciscente Deo! Facinus peruenit ad aures  
Iesseidae regis. Tunc rex redeuntibus ipsis  
Mandat legatis, maneant Hiericuntis in urbe,

90 Donec barba genas excrescens uestiat ambas,  
Ne deformato notis occurrere uultu  
Plus pudeat uisisque magis tristentur amicis.  
Denique uilloso Solymarum moenia mento  
Vt liquere prius, demum sic illa reuisent.

95 Criminis interea autores atque improbus Hannon,  
Gentis Amonitae rector, fera bella timentes  
Dauidisque minas, magna mercede uocatos  
Conduxere Syros, peditum bis milia dena  
Roobi Sobique soli, sed mille Maachi,  
100 Mille etiam decies Bistobi, horrentibus armis  
Omnes instructos animisque ad bella paratis.  
Hos contra Dauid Iudeas ire phalanges  
Armatusque uiros iussit ductore Ioabo.

Ioab superat Amonitas et Syros Qui celeri penetrans hostiles agmine  
campos,

105 Stare aduersa sibi prospexit castra Syrorum,  
Hannonis uero cuneos post terga sedere.  
In tam praesenti nil territus ille periculo,  
Consilium penitus prudens pro tempore caepit  
Extemploque Syros contra direxit et unam

110 Tradit Abisae aciem, retro conuersus ut hostem  
Distineat clamore fero post terga minantem,

Ioab hortatur suos Tunc "Pugnemus" ait "pro sanctae moenibus urbis,  
Pro populoque dei! Dabit ipse in praelia uires  
Omnipotens paruae contra tot milia plebi."

115 Haec dicens certamen init. Fugere Syrorum  
Agmina per campos late diffusa. Ioabi  
Sanguinolenta manus fugientibus ingruit. Ipse  
Densior Hannonis cuneus, quum terga cohortem,  
Qua mage fretus erat, statim uertisse uideret,

120 Se quoque proripuit rapido per gramina cursu.



**Abisas** Hos pedibus strepituque sequens animosus Abisas  
Substitit, ingressos ut proxima moenia uidit.  
Illic defixo legio Iudea tropheo  
Ibat ouans et signa ferens uictricia, tandem  
**125** Ciuibus intrauit sanctam plaudentibus urbem.  
Sed probrum delere fugae quum forte pudendae  
Assyrii uellent, reparatis uiribus omnes  
Rursum bella petunt. Regis gens Adadeseri  
Ad pugnam Euphratis transmisso flumine uenit,  
**130** Agmina multa nimis magno ductore Sobacho,  
Castraque Iudeis posuerunt proxima terris.  
**Iterum uictor Daud** Inde suas Daud contraxit ad arma cohortes  
Et uada Iordanis raptim transgressus Helemos  
Aduenit campos. Animis audacibus arma  
**135** Expediere Syri, nec segnius agmina regis  
Stant illos contra. Certant et praelia miscent  
Atque utrinque ruunt. Resonat clamoribus aether,  
Tela uolant, gladii uibrantur, scuta fatiscunt  
Ictibus assiduis. Acies iam fessa Syrorum  
**140** Caedere retrorsum, tanto feruentius ipsi  
Vrgere Hebrei atque alios disperdere ferro  
Inque fugam uersos alios depellere campo.  
**Daud** Ductorem Daud duro ferit ense Sobachum,  
Ictus et ille semel uitam dispergit in auras,  
**145 Comparatio** Protinus ad terram delabens. Qualiter ilex  
Aut quercus frondosa ruit, quum fulminis ignis,  
Illius trunco, magno stridore reuulsam  
Sternit humi et totis cogit procumbere ramis.  
Et tandem ex illis isto cecidere duello  
**150** Septingenteni currus et milia ferme  
Quadraginta uirum, qui tristia bella ciebant  
Currentes in equis hastasque et scuta gerentes.  
Hostibus absumptis fide pia uota cohortes  
Persoluere deo, grates laudemque dedere.  
**155** Tunc Syriae reges, Daudis uiribus omnes  
Expauidi, auxilio legiones Adadeseri  
Sustentare suo cessarunt, foedera pacis  
Ab Dauide rogant, concessa pace tributum  
Pendere coeperunt iuxta noua pacta quotannis  
**160** Consilio prudente satis, quia nempe putamus  
Seruire esse magis saluis optabile rebus  
Quam bello amissis inopem traducere uitam.  
Iamque Cleonei sudabant ora leonis,  
**Aestas** Solis uicino nimium succensa calore,  
**165** Iam spicis matura Ceres pallebat adustis  
Iamque metens segetem serrata uillica falce,  
Ebria lasciuos iuuenum cantabat amores,

Quando suum Dauid poscentem bella Ioabum  
**Ioab in Amonitas** Emisit. Tunc ille uirum comitante cohorte  
170 Discedens, alacri petit arua hostilia cursu  
**Rabbam obsedit** Gentis Amonitae, populatur feruidus agros,  
Vastat rura, casas igni succendit et urbem  
Obsedit Rabbam, regni caput. Omnis in illa  
Vis fuerat congesta simul rerumque uirumque,  
175 Quod cuiuis urbi quauis ab gente tuendae  
Esse satis poterat. Sed donec bella Ioabus  
Dura gerit, Solymis agit ocia mollia Dauid,  
Ocia uirtutis gnauae frangentia uires,  
**Ocii malum** In uitium propensa nimis. Si uictus in illis  
180 Inuictus fuerit Dauid, quis tuta putabit  
Illa sibi? Medios igitur quum scanderet axes  
**Meridies** Caeliuago nitens lampas Phoebeia curru,  
Excitus a somno caenacula tota pererrat  
**Dauid captus amore Bersabes** Iesseides Dauid, dumque iret dumque  
rediret,  
185 Ecce uidet posita mulierem ueste lauandam  
Sese, ex aduerso reclusis forte fenestris,  
Egregiam forma niueoque colore nitentem.  
**Acteon** Talem (si ueterum figmentis credimur) olim  
Nudam Gargaphii Titanida fontis in undis  
190 Vidit Aristeides, tales et Troius ille  
**Paris** Arbitrator ob speciem certantes atque decorem  
Spectauisse deas perhibetur, tempore longo  
Incertus, cui prima daret praeconia formae.  
Hanc ergo ut uidit, totis ardere medullis  
195 Iesseides coepit flammaque accensus amoris,  
Quae foret illa, rogat. Bersabeen discit, Vriam  
Connubio iunctam, qui tunc ductore Ioabo  
Militiae tolerabat onus. Nil talia regem  
Compescunt: superat Veneris uesana cupido.  
200 Bersaben iubet acciri turpique pudicam  
Foedat adulterio. Quae quum sub nocte redisset  
Ad talamum stuprata suum, se sensit ab illo  
Concepisse nouum commixto semine foetum.  
**Vriam Bersabes maritus** Rettulit hoc regi. Tunc rex, caelare prophanum  
205 Sollicitus facinus, reuocari mandat Vriam  
Ad se quam primum a castris ualloque Ioabi.  
**Dauid ad eum** Huic, postquam uenisset, ait: "Bone miles Vria,  
Dic mihi, quam recte noster Dux ipse Ioabus  
Sese habeat populusque meus sociique meorum  
210 Et quo sit spes nostra loco. Quis denique finis  
Pugnandi uobis Rabbae sub moenibus altis?"  
Ast illi inter se dum talia uerba uicissim  
Euoluunt, prono successit uesper Olympo.

Tunc rex, ut fessum corpus iam curet Vrias  
215 Inuisatque suos et se soletur in illis,  
Iussit et ambrosias post ipsum mittier escas  
Mandat, ut his rabidam postquam satiarit orexim,  
Dimissos repetat chara cum coniuge risus,  
Inde iocos atque inde thori genialia iura  
220 Interrupta nouet, mulier ne mecha putetur,  
Quum grauidam partu uicino praeferet aluum.  
Haec commenta tamen casus dissoluit et aurae  
Euertunt omnes caelandi criminis astus.  
Quippe suas non est aedis ingressus Vrias  
225 Ipse, sed ante fores augustae substitit aulae  
Et nuda uestitus humo prosternitur, aptans  
Suppositum capiti tumida testudine scutum,  
*nota* Idque uiro ceruical erat. Non mollia quaerit  
Stragula belligero uirtus durata labore.  
230 SiC ille extento resupinus corpore lentum  
Captauit somnum caelo, non fornice tectus.  
Resciit hoc Daud. Tunc illum mane uocatum  
Aggreditur dictis: "Cur non tua tecta petisti?  
Tedia longa uiae stratu meliore leuasses,  
235 Vxorem totamque domum solamine praesens  
Donasses multo, dulces miscere loquellas  
Dum licet ac gratas audire et reddere uoces."  
Sic Daud, sic ipse sequens respondit Vrias:  
*Vrias respondit Daudi* "Scortea sacratam diuini muneris arcam  
240 Velamenta tegunt, tentoria parua cohortem  
Israhelitanam, dura in tellure Ioabus  
Distentus recubat, generis pars maxima nostri  
Sub diuo carpit somnos, iustissime regum,  
Et tu me nostris uis nunc succedere tectis,  
245 His ut susceptus conuiuia festa frequentem  
Et satur in plumis iaceam et complexibus utar  
Molliter uxoris? Per te, tibi iuro, tuamque,  
Quam praeferre meae soleo, rex magne, salutem,  
Hoc me facturum nunquam, nisi copia nostrae  
250 Quum ueniet gentis, uicta certamine Rabba  
Et tibi subiecta, si tunc mihi uita superstes  
Fiet, ut hoc tanto possim gaudere triumpho."  
Postquam rex uidit cunctos hac parte suasus  
In cassum caessisse suos, compellit Vriam  
255 Illo etiam perstare die secumque morari,  
Hunc uino superare ratus, quo largius ille  
Hausto, mente magis captus, magis appetat ipsam  
Vxorem, ducis oblitus rerumque sacrarum.  
Mensa reposita fuit uinique cibique paratu  
260 Luxuriosa nimis multisque sedentibus uni

Iesseides cratere mero propinat Vriae.  
Inter coenandum repetitis potibus ille,  
Quanus mente minus constaret, iussus abire  
Decedente die, tamen intra regia mansit  
265 Limina. Mancipiis nam mixtus claustra petiuit  
Inferiora domus caellisque quieuit in imis.  
Nec prius inde pedem somno uinoque sepultus  
Mane Extulit, exortus quam Sol de finibus orbis  
Eoi montes radiis percussit Iberos.  
270 Conatus rex ipse dolens uanescere tantos,  
Aggreditur crudele nefas: dimisit Vriam,  
Vt iam castra petat, ferat et diploma Ioabo  
Dauid Vriam caedi exponi iubet His intus uerbis conscriptum: "Moenia  
Rabbae  
Oppugnare iube; tum qua plus esse pericli  
275 Parte scies, illa fortis dic pugnet Vrias.  
Ante sed hoc comites moneas, quum comminus enses  
Ensibus illisi coeptent crepitare, relinquunt  
Hostibus hunc solum, solus perimatur ut ipse."  
Porro dum fierent saeui fera praelia Martis,  
280 E Rabba egreditur cuneus fortissimus urbe  
Inuaditque globum, cui tunc Aethus Vrias  
Dux erat, armati certant, sed linquitur ipse  
Vique uirum praessus uita spoliatur et armis.  
Nec cunctis fugisse datum, circumdata nanque  
285 Pars non parua cadit comitum certantis Vriae,  
Ne solus tristes Herebi descendat ad umbras,  
Quae quandoque suos habitantes corporis artus  
Ipsae etiam peperere manu uirtutis honorem.  
Nuncius inde ducis portans ea gesta Ioabi  
290 Ad Dauida tulit. "Rabbae sub moenibus" inquit  
"Non pauci cecidere uiri, missilibus illi  
E muro iactis, hi caesi comminus armis  
Illorum, quos Rabba suis effundere portis  
Ausa est ad pugnam dubiique pericula Martis.  
295 Hos quoque tunc contra certans Aethus Vrias  
Oppetiit potiusque mori decreuit in armis  
Quam per probra fugae turpem seruare salutem.  
Atque haec laeta parum fatisque peracta sinistra,  
Inclyte rex, tibi me iussit narrare Ioabus,  
300 Moestus et ipse quidem tali se strage suorum,  
Et rogat, an iubeas Rabbam obsidione leuare  
An sperare tuae mage fata fauentia sorti."  
Ingemuit rex ipse suae dispendia gentis,  
At tamen optata miseri nece laetus Vriae  
305 Dauid ad Ioabum "Vade" ait "atque duci referas mea dicta Ioabo:  
Ista, Ioabe, tuum frangat committere noli

Res animum. Varia est belli fortuna: uicissim  
Qui uictus fuerat, uincit rerumque potitur.  
Exhortare tuos, ne dudum coepta relinquunt  
310 *nota* Propositoue cadant. Duranti praemia dantur,  
A cessante suas retrahit Victoria palmas.  
Magno animo pugnate, uiri! Vexata superbum  
Inclinat iam Rabba caput. Perstate parumper,  
Illaque sub nostras mox ibit subdita leges."  
315 Interea totam uulgatur fama per urbem  
In castris quosdam nuper periisse Ioabi.  
*Bersabe luget caedem mariti* Caede uiri audita, Bersabe moesta capillos  
Carpsit et in nigro consedit tristis amictu,  
Ora lauans lachrymis et plangens pectora palmis,  
320 Frustra illum miseranda uocans. Tandemque peractis  
Funeris pompae paucis de more diebus,  
Traducta est claram regis Daudis in aulam.  
Iamque palam thalamis magni magis usa mariti,  
Enixa est puerum summae, si fata tulissent,  
325 Immensaeque spei. Sed crimine parta nefando  
Coniugia aeterno caelum terramque regenti  
Displicuere deo. — Nathano proinde prophetae,  
Arguat ut regem, mandat. Petit ille penates  
Sydereos et regis adit penetrare superbum  
330 *Nathan propheta ad Daudem* Hisque illum aggreditur dictis: "Inquiro  
probatum,  
O rex, iudicium: Gregis unus diues ouilis  
Extitit ante alios armentorumque redundans.  
Alter erat pauper, cui nummus nullus in arca,  
Nulla pecus ruri, nisi mitis ouicula tantum,  
335 Ipsi chara nimis. Peregrinum diues auarus  
Suscipit hospitio coenamque daturus ad istam  
Lumina uertit ouem raptamque apponit amico.  
Quin etiam repeti ne posset, mactat et ipsum,  
Cuius erat, scelerique scelus superaddit iniquus,  
340 Vna suo tantum ne de grege decidat agna."  
Exclamat Daud: "Morte est mulctandus acerba  
Hic, quem crudelem fecit malesuada cupido  
Predandique aliena fames." Tunc intulit ipse  
Nathanus uates: "Recta est sententia regis.  
345 Te tamen hunc ipsum, quem damnas, esse memento!  
Praeterea deus ipse, deus tibi dicere iussit  
Impietate tua commotus: 'Nonne ego sceptri  
Israhelitani te sum dignatus honore?  
Nonne ego te Saulis protexi semper ab ira?  
350 Nonne meum numen semper seruire coegit  
Israhelem Iudamque tibi? Victoria tecum  
Nonne fauore meo certamine stabat in omni?

Addere et his uolui. Quare ergo numine nostro  
Sancitas ausus dudum contemnere leges  
355 Laesisti externi genialia foedera lecti  
Et, cuius fueras uxore potitus, in illum  
Hostili gladio saeuisti? Te ille iubente  
Hostibus obiectus, telorum turbine multo  
Prostratus uitam pariter cum sanguine fudit.  
360 Non impune feres haec tanta piacula, Daudid!  
Aduersae gentis duro uexabere Marte  
Atque, ut mechus eras alienae coniugis, omnes  
Vxores hac urbe tuas sic polluet alter,  
Nec tamen hoc tacite, turba spectante sed omni'."  
365 Pertimuit meritas culpa mens conscia poenas.  
*Daudidis penitentia* Hinc Daudid peccasse dolens suspirat et inquit:  
"Peccaui tibi, magne deus. Tu parce fatenti!"  
*nota* Discite quam felix sceleris correctio, uel quam  
Festinata reo uenia est indulta dolenti!  
370 Continuo Nathanus ait: "Secernitur a te  
Aeternae exitium mortis, sed murmuris autor  
Quum fueris plebi, quo sunt caelestia laesa  
Numina, quae nata est nuper tibi spuria proles,  
Hac orbatus eris: teneris decaedet ab annis."  
375 Hoc dicto abscessit uates regemque reliquit.  
*Puer de adulterio natus moritur* Aegrotare puer desperatusque iacere  
Coepit. Pro pueri uotis precibusque salute  
Solicitare deum Daudid ieiunus et idem  
Cum gemitu profusus humi lamenta ciere.  
380 Circa illum famuli atque uxores et domus omnis,  
Hortantes, saltem de terra surgat et adsit  
Iam tandem mensae fratrum procerumque suorum.  
Ille sed immotus perstat, solamina nulla  
Admittens languenti animo mentisque dolori.  
385 Septimus inde dies puero fuit ultimus aevi,  
Postquam lethiferum suscepit corpore morbum.  
Non erat hic Daudid, longe diuersus ab illo  
Distentusque solo recubabat, et aulica turba  
Infantis tunc fata suo deferre parenti  
390 Pertimuere quidem. Nam qui languente dolebat  
Demissis animis, multo funestius illum  
Iam pueri audita doliturum morte putabant.  
Nemo ita uenturum non crederet, et tamen haec res  
Euenit praeter cunctorum spemque fidemque.  
395 Nam quum musantem rex cerneret ire tumultum  
Et crebris uacuas aedis resonare susurris,  
Vocibus insolitis motus quaesiuit, an aeger  
Vita functus erat. Vita dixere gementes  
Defunctum famuli. Tunc ille afflicta leuauit

400 Membra solo, tersit sordes erectus et artus  
Abluit aspersos lymphis et odoribus unxit.  
Assumit trabeam caelesteque numen adorat.  
Inde petit mensam, coenat, non pristinus ori  
Moeror inest, sicco stant lubrica lumina uultu.

405 Mirari hoc omnes atque illum poscere causas,  
Cur non extinctum doleat, quem corpore uiuum,  
Sed feбри affectum iamdudum flerat acerbe,  
*nota* Respondit Daudid: "Lachrymis fletuque moueri  
Numina sancta solent, ieiunis gratia facta est

410 Saepe uiris, humiles oculis deus aspicit aequis.  
Hinc ego me talem praestabam flensque dolensque,  
Dum spero pueri domino miserante salutem.  
Nunc aliter placitum regi qui nosco superno,  
Cur lachrymer? Nunquid fletu reuocarier ullo

415 Mortuus ad uitam poterit? Quum certa uoluntas  
Aeterni pateat regis, contendere contra  
Nonne animi furor est uanaeque insania mentis?  
Ergo tibi grates, summi moderator Olympi,  
Semper agam semperque mali minus esse fatebor,

420 Quod patior, quam quod mea iam delicta merentur  
Et plus esse boni, quod te donante recaepi,  
Quam mea quo uirtus potuisset digna uideri."  
Hac igitur ratione suum lenire dolorem  
Dum studet, ipsa etiam solamen corde recaepit

425 Bersabe. Inde nouo felicius usa marito,  
*Salomon nascitur* Egregium partu fudit Salomona secundo  
Dilectumque deo. Tempestiuumque magistro  
Nathano Daudid dedit illum, moribus aequis  
Doctrinisque bonis quondam percultus ut esset

430 Atque habilis regno. Multum referre putabat,  
*Quali magistro pueri commitendi* Non modo ut ingenuis sit praeditus  
artibus ille,  
Sed magis ut uitio purus noscatur ab omni  
Et uirtute probus, puerum cui cura docendi  
Est commissa rudem. Teneros magis influit annos

435 Quod cernunt oculi quam quod caua percipit auris.  
*nota* Qualibus exemplis monitisque imbuta iuuentus  
Paruula adhuc fuerit, tales dabit aucta colores.  
Interea longo labefactam Marte Ioabus  
Iam capturus erat Rabbam misitque uocatum

440 *Rabba expugnatur* A Solymis regem. "Veni," inquit "moenia  
Rabbae  
Tormentis concussa ruunt rimisque fatiscunt.  
Pars cecidit muri, patet hac ingressus in urbem,  
Sed tibi seruatur capiendae gloria Rabbae,  
Vt uirtute tua potius superata feratur

445 Quam pugna ductuque meo." Rex milite multo  
Armatus uenit, primo capit impete Rabbam.  
Vrbs opibus uiduata suis, simulachra deorum  
Deturbata solo. Post haec captiua iuuentus  
Vinclo praessa graui. Sonat ingens undique planctus  
450 Foemineus, matres strinxere ad pectora natos.  
Dauidi diadema datum, quod habere talentum  
Pondo auri dictum fuerat multisque lapillis  
Baccatum miro longe splendore micabat.  
Ista corona fuit dominis gestata prophanis,  
455 Nunc regem sortita pium, lucere decore  
Visa magis grato est, magis isto uertice digna.  
Iussus Amonitas tandem disperdere gentes  
Lege dei Dauid, captiuae corpora turbae  
*Poena pro iniuria legatis illata* Aut secuit serris, aut ferro in frusta  
redegit,  
460 Aut subiecta graui carrorum pondere praessit,  
Vt discant irati etiam compescere dextras  
Legatisque mali nil uelle infligere regum.  
Victor deinde uirum coetu comitante suorum  
Et laetas tollente simul super aethera uoces  
465 In patriam rediit, praeda magis an grauis armis  
Incertum. Sed enim pro tantis ille triumphis  
Soluuit uota deo, laudes gratesque peregit.

## <Liber X>

### ARGUMENTVM

Regum lib. II cap XIII. Ammon, Dauidis filius, uitiat Thamar, Absalonis sororem. Rex moleste fert. Absalon uocatum Ammonem in conuiuio interimit. Fugiens uenit in Gessur. XIII. Ioab per mulierem Thecuiten placato rege reduxit eum in Hierusalem, ubi ille per biennium uitauit conspectum regis. Ioabi messem incendit. Rex exoratus Absalonem ad se uenientem osculatur. XV. Absalon affectat regnum. Dauid fugit. Cluuium oliuarum flens ascendit. Chusum misit, ut iungatur Absaloni et Achitophelis consiliis obstet.

### Lib. X

Iustitiae caelestis opus quem paenitet, illi  
Protinus aeternas pro crimine tollere poenas.



Ast ita, non alias. Aliis delicta piare  
Suppliciis penitusque nihil dimittere inultum,  
5 Mala passus Daudid pro crimine Quicquid peccatur. Nunc ergo, qualia  
Daudid  
Sit mala perpessus pueri post fata, docebo.  
Ne quicquam uacuum fando docuisse putetur  
Inuocatio Nathanus uates. Tu me, diuine, canentem,  
Spiritus, aetheria caeli delapsus ab arce  
10 Dirige per ueteres optato tramite fastos,  
Non quos Pierides, nec quos dictauit Apollo  
Gentibus infidis, sed quos meliore relatu  
Veridicique magis nobis cecinere prophetae.  
Thamarim adamauit Ammon Thamaris una fuit forma pulcherrima regis  
15 Natarum, mater quam quondam chara Maacha  
Germanam pulchro generauerat Absaloni.  
Hanc ardere coepit totis affectibus Ammon,  
Ante omnes alia regi de coniuge natus.  
Hanc solam spectare miser, caelare sed ipsam  
20 Intima carpentem coepit praecordia flammam.  
Nam proferre pudor turpem prohibebat amorem  
Ipsaque uirginitas integrae intacta puellae  
Obstabat uotis et desperare iubebat.  
Sed stimulis urgere feris insana cupido  
25 Iam magis atque magis pergens, non nocte sinebat,  
Non requiesse die. Iam ferre incendia cordis  
Non ualet aegroti: tacitus suspiria ducit,  
Stat, sedet, huc illuc errat secumque susurrat  
nota Amenti similis. Quid enim nisi uita furentis  
30 Immoderatus amor? Fuit illi sanguine iunctus  
Ionadab Ingenio prudente satis praestans Ionadabus,  
Daudidis de fratre nepos. Qui factus amato  
Obuius Ammoni, faciem miratus et ora  
Demutata "Satin ualeas, charissime," dixit  
35 "Sisne satis sanus? Macies pallorque decorem  
Deformat uultus tristemque in pectore curam  
Indicat aspectus. Quid habes? Mihi dicito, forsan  
Opportuna dabo pellendi pharmaca morbi."  
Ammon Suspirans Ammon: "Non est medicabile nostrum,  
40 O Ionadabe, malum. Sed quid tibi demoror" inquit  
"Secretum proferre meum? Me Thamaris intus  
Vrit amor tenuatque iugi membra extima cura.  
At tu siquid habes, tanto succurre labori.  
Nam mihi siue mori est decretum siue potiri  
45 Virgine dilecta, frater licet Absalon illi  
Sit simul atque mihi." Miserans Ionadabus amantem  
Tam pro penso animo iuuenem, tam mente procaci,

**Ioanadabi consilium perniciosum** Haec responsa dedit: "Iubeo sperare  
quod optas

Te, nate Achinoa. Quoniam, quam diligis, ipsam

**50** In manibus tibi trado tuis. Aduerte, docebo

Qui fieri id possit. Tetrius te finge ualere,

Te simula aegrotum multum lectoque recumbe

Et gemitu testare grauem sub corde dolorem.

Te uisum ueniet genitor. Diducito uocem

**55** Et dic: 'Oro, pater, ueniat fac Thamaris ipsa

Et fratri obsequium praestet soror, ipsa ministret

Et pulmenta paret, manibus quoque porrigat ultro

Vina cibosque mihi. Solet euanescere docto

Saepe ministerio lentus de corpore langor'."

**60 In Ionadabum male consulentem** Hos monitus, Ionadabe, dabas  
prudensque uafferque

Iam tibi uisus eras? At non seruatur amicus

**nota** Consultore mali. Finem prudentia rerum

Metitur. Tunc coepta probat, quum mente sagaci

Perpendens discit, qualis manet exitus illa,

**65** Nec suadere suis quod palpet curat amicis,

Sed quod grata bonis factum commendet honestas,

Quod ius fasque putat, quod denique profore credit.

Thamaris ergo patris iussis compulsa penates

Ammonis petiit pultemque cibosque parauit.

**70** Accedens aegro proponit, porrigit, offert

Solicitansque rogat, ne sumere differat escas,

Languenti faciles illi pariterque salubres.

Ille suos uultus auertens, tedia turbae

Astantis tolerare negat se posse malignus.

**75** Aestuat atque gemit. Quare discedere iussis

Omnibus hi tantum soli mansere relictis.

Ille manu ipsius praensa testatur amorem

Improbis et, lecto secum concumbat in illo,

**Ammon uitiat Thamarim** Eflagitat retinens et iam uiolentus inhaerens.

**80** Obstupuit miseranda nefas tam grande puella

Seque trahens retro "Quid me sic opprimis?" inquit

"Quod molire scelus, cognati sanguinis, Ammon,

Oblitus legisque dei iurisque pudici

Connubii? Sine me, sine me!" clamabat. At ille

**85** Luctantem toto contendit uincere nixu

Et tandem uincit. Miseram sceleratus amator

Germanam uiolat, ui uictus et ipse nefanda.

Iamque expleta semel iuuenis damnata libido

Exardens odio flammam extinxit amoris

**90** Et, quam tam cupide dilexerat, aedibus illam

Exturbat, sibimet tunc indignatus, opinor,

Ipsam flagitii quum conscia cura momordit.

Illa abiit lachrymans et uirginitatis ademptae  
Deplorans tacito secum moerore pudorem.

95 Nec tamen ipsa, suas postquam penetrauit in aedis,  
Se potuit retinere, graues quin moesta querelas  
Promeret et fratri fratris scelus Absaloni,  
Puluere sparsa caput tunicisque a pectore scissis  
Atque solo fixis oculis pudibunda, referret.

100 Obstupuit factum tristemque exarsit in iram  
Absalon et tacitus, quam ratione sororis  
Vindictet ablatum per uim uitiumque pudorem,  
Cogitat et nunc hoc, nunc illud mente uolutans

Absalon consolatur sororem "Mitte queri," dixit "culpa est aliena puellae

105 Vis illata probae. Stupratae damna rependi  
Non nisi raptoris possunt pro crimine poena.  
Solamen tibi sit non consensisse scelesto  
Et luctasse diu. Caro est uitata, sed ipsa,  
Ipsa integra manes. Seruatur quippe pudicis

110 Virginitatis honos, etiam ludibria passis.  
Rem tacitam teneas et dissimulare memento."  
His dictis sedata silet frenatque dolorem.

Quauis ora rubor suffundat, iussa facessit  
Incestumque tegit. Sed et Absalon, impia cordis

115 Condere consilia adnixus, placabilis oris  
Monstrabat speciem succensaque felle tumebat  
Intus mens odii. Mitis tamen extima uultus

Comparatio Signa benigna dabat. Veluti quum pruna caminis  
In mediis obducta latet, restincta putatur

120 Ignea uis omnis penitus solique iacere  
Creduntur cineres, donec superaddita ligna  
Concepto incipiant alte fumare calore  
Et caelata diu mittant incendia flammis.  
Sic indignati fratris grauis ira latebat,

125 Donec seruato se promere tempore coepit.  
Venit et ad regem uulgato crimine rumor  
Atque illum multo tristem moerore repleuit.  
Rex tamen Ammonem nec uerbis carpsit amaris,  
Nedum supplicio post tanta piacula digno.

130 Vsque adeo magno semper dilexit amore  
Ille Ammonem suum, sibi primo germine natum.  
Ast odisse fuit satius. Fortasse paterno  
Ipse metu praessus grauius peccare caueret  
Sublataque mali causa, mala tanta secuta

135 Non essent. — Dicenda mihi quae denique restant?

nota Blanda nimis pietas et mollis cura parentum  
Plus aequo audaces natos in crimina mittit  
Contemptumque sui. Stulta est dilectio charos  
Lasciuire pati et nullo compescere freno.

140 Par amor inuidiae est, quem propter plectere uitas  
Dilectos pueros, faciunt quum digna flagello.  
Hic sapienter amat, qui uerbere uindice natos  
Auocat a uitio monitisque informat honestis,  
Moribus exculti ut sint uirtutemque capessant.  
145 Ergo in tale nefas Ammonem praecipitarunt  
Blandimenta patris, qui dum delicta rigore  
Persequitur nullo, magni sibi causa doloris  
Ipse fuit. Mollis natorum censor et ipse  
*Helius sacerdos* Helius antistes fuit olim et pendere poenas  
150 Iudicio iussus diuino perdidit omnem  
In bello sobolem solioque excussus eburno  
Exanimis cecidit. Translatum caessit ab illo  
Pontificale decus. Tulit haec punitor ineptus  
Helius in natos. Quanto grauiora merentur  
155 Hi, quicumque suis sunt ipsi exempla malorum,  
Pontificis sancti si sic punita refertur  
Sola leuis contra prauam correptio prolem?  
Inde per immensum Sol circumductus Olympum  
*Bis aestas* Iam bis Oebalios curru contingere fratres  
160 Visus erat, iocunda noui bis tempora ueris  
Aduexisse suo foecundans arua calore.  
Absalon accedens tunc regem supplice uoto  
Et fratrum turbam ad conuiuia festa uocauit,  
Lanigeras tonsurus oues Balasoris in agro,  
165 Hic ubi diffusi uiridanti gramine campi  
Propter aquae ripas rapido torrente fluentis  
Florebant et laeta gregi dumeta ferebant.  
At curis regni Dauid remoratus abire  
Nequaquam se posse refert. Feruentius ille  
170 Instare, ut fratres saltem dimittat et ipsum  
Praecipue Ammonem. Cuncti uenere rogati.  
*Conuiuium Absalonis* Egregias tunc ille dapes et uina pararat,  
Ille penu tota mensas cumularat agrestes.  
Discubuere uiri. Lusu conuiuia laeto  
175 Certatim exercent et iam magis ebrius Ammon  
Cooperat implicito uoces truncare palato,  
Vix aperire graues temulentae frontis ocellos  
Ac ueluti somno praessus deflectere colla  
Nutantis capitis pronoque accumbere uultu.  
180 Absalon ista notat. Mox signum protulit illis,  
Quos ante instruxit, decernens caede piare  
Atque cruore rei uiolatae stupra sororis.  
Viso igitur signo, gladiis conuiuia strictis  
Perturbant. Cunctis pariter pauitantibus unum  
185 *Ammon interimitur* Ammonem feriunt et mensas sanguine foedant.  
Ille solo lapsus misere deuoluitur imo

Persoluens meritis commissa piacula poenis.  
Conscendunt mulos reliqui trepidante tumultu  
Et celeri repetunt Solymarum moenia cursu.  
190 Sed mage praecipiti praecurrit fama uolatu,  
Sauciat et falsis regis rumoribus aures:  
Illius occisos natos narrauit ad unum,  
Nec quenquam superesse patri. Percussus atroci  
Erumna genitor nudauit pectora scissis  
195 Vestibus et moerens in terram corrui. Omnes  
Hoc ipsum fecere simul, qui forte sedebant  
Circa illum proceres. Ionadabus surgit et inquit:  
Ionadab regem consolatur "Haud uerum trepidus narrauit talia rumor.  
Salui aderunt omnes Ammonem praeter, ademptum  
200 Germani insidiis et fraudibus Absalonis.  
Ille quidem, memori uiolatae probra sororis  
Mente tenens, non est uiuum discedere passus  
Criminis autorem, pransum potumque peremit.  
In reliquis moderare tuo, rex magne, dolori."  
205 Vix ea fatus erat, summa speculator ab arce  
Aduentare uiros exclamat, peruia montis  
Ingressos properare gradum factisque propinquis  
Constitit esse ipsos, Ionadabus dixerat ante  
Quos esse incolumes, praesagae lumine mentis  
210 Nondum uisa sciens. Postquam uenere, peremptum  
Lugentes fratrem moestis clamoribus aedes  
Implerunt. Magnos agit omnis curia fletus,  
Atria lamentis resonant. Rex ipse dolorem  
Vincere conatus siccis perstabat ocellis.  
215 Mox uictus lachrymis profusis ora rigauit  
Ipse etiam natiue dedit pro morte querelas.  
Funereque exacto luctum de more diebus  
Non paucis tenuit. Genitoris fugerat iram  
Absalon fugit Absalon, a patriis translatus sedibus usque  
220 Ad Syriae regionis humum regisque penates  
Tholomai, Gessura olim dominantis in ora,  
Amiuiro genitore sati. Regionibus illis  
Exegisse procul tris totos dicitur annos.  
Dauidis iam longa dies molliuerat iram,  
225 Iam magis atque magis miti placabilis ore  
Esse uidebatur, Thecuiques foemina quando,  
Magnanimi monitis uerbisque instructa Ioabi,  
Lugubres induta togas simulansque dolorem,  
Accessit supplexque illi sic ore locuta est:  
230 Mulier Thecuiques ad Dauidem "Affer opem miserae, si qua est tibi,  
maxime regum,  
In miseros pietas! Tua nanque ancilla duobus  
Gaudebam natis chari post fata mariti.

Hi dum rurantur (fraterno semper amore  
Inter se coluere prius, nisi tempore in isto),  
235 Nescio quid litis discordi uoce uicissim  
Versantes conferre manum coepere furendo:  
Ictibus alterius contusus concidit alter.  
Orba illo infelix curas solabar aniles  
Huius, quem uiuum seruarunt fata, salute.  
240 At tamen ecce omnis generis cognatio nostri  
(Me miseram!) insurgens, tristes nunc suscitatur iras  
Atque hunc ad mortem pro fratris morte reposit,  
Nequa mihi restent miserae solatia matri,  
Nequis sit reliquus, mea qui post fata supersit,  
245 Qui morienti oculos claudat, qui funera faxit  
Quique suos referat uerbis atque ore parentes.  
Aut tanto me tolle malo, miseratus iniquam  
Infortunatae genitricis in omnia sortem,  
Aut gladio me perde tuo, ne cernere cogar  
250 Vnica cognatis laniari pignora dextris."  
Dixit et humentes se tergere finxit ocellos  
Elata super ora manu. Miseratio regem  
Mouit et huic ipsi per summi numina regis  
Iurat facturum se mox operamque daturum,  
255 Istum, qui superest, nequis de stirpe suorum  
Laedat, nequis ei iam quicquam triste minetur,  
Seque autore ipsam cum prole superstite matrem  
Iam fore securamque metu expertemque pericli.  
Ex his ergo illi dictis audacia creuit  
260 Fandi quod uellet uocemque leuauit et inquit:  
Rursum mulier "In me igitur, Daudid, regum iustissime, mitis,  
In te saeuus eris? Nati dum fata perempti  
Vnius defles, pateris tam tempore longo  
Alterius uitam diuersas quaerere terras  
265 Atque uno amisso te uelle carere duobus.  
Sed quum nemo queat uitam reparare perempto,  
Huius qui superest, oro, miserere tuaeque  
Consule fortunae. Longinquis exul ab oris  
Iam redeat fratrisque locum genitore iubente  
270 Impleat amissi. Gentem populumque fidelem  
Ille inter periit. Propior mors ista periclo est  
Aeterni interitus, in terra idola colente  
Quae cui contingit. Tali de morte fideles  
Errue nunc animas nati sociaeque cohortis  
275 Iudiciumque tuum, populo quod teste dedisti,  
Iuratus serua. Similem confingere casum  
Sors miseranda tui me compulit Absalonis."  
Daudid foeminae tunc mentis acumine captus  
Comparatio Non minus obstupuit quam uates ille Balamus,

280 Israhelitanæ uetitus maledicere plebi,  
Balam diuinus Quando asinam, qua uectus erat, proferre loquellas  
Audiit humanas, mutata uoce rudentum,  
Aquam in uinum uersam Aut hi, quis intra Galileæ moenia Channæ  
Cura fuit mensis festi seruire iugalis,  
285 Quum puris mandante deo fictilia uasa  
Implessent lymphis et iussi haurire, meracum  
Effluere aspicerent Bacchi mox inde liquorem.  
Ergo admiratus muliebris callida sexus  
Elloquia, hæc alio prolata autore putauit  
290 Et rogat, an illi suggesserit ista Ioabus  
Absalona uolens fidum de gente prophana  
Transferri ad patrias post longa exilia sedes.  
"Verum ais, o Dauid," respondit illa "Ioabus,  
Pro pulchro quoniam nimis anxius Absalone,  
295 Talia me iussit tibi dicere. Spiritus iste  
Diuinare tuus certe satis omnia nouit.  
Hanc tibi, credo, dei confert sapientia mentem,  
Vt secreta scias atque ut manifesta probato  
Discernas sensu. Quicquid decreueris ergo  
300 Iudicio, complere stude. Quum certa uoluntas  
Ista dei fuerit, non est obsistere tutum.  
Perfice, diuino quod iam promiseris ore,  
Atque ignosce mihi, simul ipsi ignosce Ioabo.  
Si meus offendit te quicquam sermo, coegit  
305 Suggestere hunc pietas, me dicere cura sequendi  
Ipsius imperium, per quem tua castra reguntur."  
Dimissa Thecuite pius rex ipse uocato  
Hæc mandata dabat ductori forte Ioabo:  
Dauid ad Ioabum, ut Absalonem reuocet "Ecce, Ioabe, tuis caedens,  
charissime, uotis,  
310 Compressi posuique animos, reuocetur ut ipse  
Absalon, admitto." Vultu lætante Ioabus  
Atque solo fixis genibus persoluere grates  
Solicitus fatur: "Multum tibi debeo, Dauid,  
Rex uirtute potens, clarus pietate fideque,  
315 Quod me militiæ primo dignaris honore,  
Nec minus in reduci tibi debeo, maxime, nato,  
Absalone tuo. Voti nunc compos in illo  
Quod permittis agam." Surgens penetrauit ad oras  
Gessuras alacer, regis dein tecta petiuit  
320 Tholomai et charum secum Absalona reduxit  
Ad patrias tandem sedes urbemque beatam.  
Nondum tota necis fraternæ iniuria regi  
Exciderat languenti animo mentique repostum  
Viscera carpebat facinus iussitque redire  
325 Absalona suum, quas ante habitabat, ad aedes,

Vt neque spectandum se regi praebeat ille,  
Nec uisum ueniat regem longeque facessat  
A facie uultuque patris, licet ipse decore  
**Absalonis forma** Corporis ante alios iret: mensura per artus  
**330** Exaequata suos fuit illi, splendida forma  
Oris purpurei, niuibus certantia colla,  
Caesaries auro, geminis duo lumina stellis.  
**Parthenopeus** Pulchrior ad Thebas misso duce Parthenopeo,  
**Nireus** Ad Troiam Nireo fuerat Daudis alumnus.  
**335** Quum tamen ambo una iam uersarentur in urbe,  
A genitore duos declinans luxerat annos.  
Interdicta sibi praesentia quippe parentis  
Quum foret, exilium grauius tolerabat ibidem  
Quam quum Gessuris fugiens latitauit in oris.  
**340** Pertesus ueniae molimina tarda futurae  
Conspectumque patris cupiens precibusque Ioabi  
Venturum hoc sperans, accersere iusserat illum,  
Cunctantemque iterum rursumque uenire negantem.  
Postremo iratus seruos in praedia mittit,  
**345** **Messem Ioabi incendit Absalon** Qui iam maturam flammis incendere  
messem  
Illius iussi, torrem iecere: Perustae  
Collucent paleae, culmos comprehendere flamma  
Festinat, crepitantem ignis consummit aristam.  
Inde leuis scintilla uolat perque aera fertur  
**350** **Comparatio** Muscarum in morem, quales fornacibus olim  
Viure fama fuit, quoties Cithereia Cypros  
Conflaret multo Themesea calore metalla.  
Exciti damno famuli uenere Ioabi  
Et scissis tunicis domino coepere referre  
**355** Vastati facinus flammis torrentibus agri.  
Tunc Absalonis subiens cito tecta Ioabus  
**Ioabus ad Absalonem** Aggreditur iuuenem dictis: "Tibi fidus ut essem,  
Me meus egit amor. Placui irata parentis  
Corda tibi, externis duce me translatus ab oris,  
**360** Natali gaudes terra. Quo crimine tandem,  
Absalon, hoc merui, segetes ut iusseris igni  
Deuastare meas? Nec me mea damna fatigant,  
Sed furor iste tuus." Subridens Absalon inquit:  
**Absalon respondet** "Haud hoc iratus feci, sed nostra, Ioabe,  
**365** Mens animusque tui cupiens, quum saepe uocatum  
Non uenisse quidem cognouit, talia secum  
Commentans egit. Te nunc praesente fruetur  
Et tibi multiplici damnum mercede rependet,  
Si uotis fortuna meis arriserit unquam.  
**370** Ergo age, uade, pio defer mea dicta parenti:  
Vt quid ego redii Gessuris exul ab oris,



Si grauiora pati patria contingit in urbe?  
Tempore tam multo conspectus, oro, cupiti  
Copia iam fiat, placidos ostendere uultus  
375 Iam mihi dignetur. Vel si debile crimen  
Esse meum nullo saeculorum iudicat aeuo,  
Iam perimat miserum. Non tam graue luce carere  
Est mihi quam facie uiui charique parentis."  
Haec mandata dedit. Mox continuoque Ioabus  
380 Haec eadem defert regi mollique precatu  
Illius inflexit mentem ueniamque petenti  
*Absalon uenit in conspectum patris* Impetrat et uotis optatae munera pacis.  
Absalon hinc regem maturat adire uocatus,  
Venit et ad terram uestigia pronus adorat.  
385 Erigit apprensum genitor dextraque retento  
Dat dulces monitus. Post haec amplexus utraque  
Candida colla manu lachrymis dabat oscula fuis  
Oblitusque mali nato felicia fata  
*nota* Optauit. Sed uota leues uanescere in auras  
390 Consueuere, quibus nimis impia facta repugnant.  
Post donata sibi fraternae crimina caedis  
*Absalon appetit regnum* Absalon elata coepit ceruice superbus  
Appetere excelsum patriae sibi sedis honorem.  
Hoc unum totis moliri uiribus ultro,  
395 Vt pulso genitore procul diademata solus  
Occupet atque illi sceptro potiatu adempto.  
Hinc igitur currus sibi praeparat armaque bello  
Opportuna fouens, equitatum laetus agebat  
Quinquaginta uirum. Plebis uenientis ad urbem  
400 Allicere affatu coepit mollissima corda  
Et facilem praestare suis se ciuibus ultro,  
Hos donis, illos promissis, omnibus omnes  
Solicitare modis et nil dimittere prorsus,  
Quo cunctis charum fieri se posse putaret.  
405 Iam tandem parto populi uulgique fauore,  
Votum pro reditu Gessura fingit ab urbe  
Iuxta primorum soluendum marmora patrum,  
Hebronae tumulata iacent ubi corpora sancta  
Adae atque Abrahae simul Isachique Iacobique  
410 Vxorumque una. Rex illi caessit, ut iret  
Offerretque deo promissa et debita sacra,  
Esse nefas dicens, quod recte uouimus, illud  
Reddere nolle deo. Tunc Hebronam ille profectus  
Cum bis centeno peruenit milite. Postquam  
415 Illic consedit, certos direxit ad urbes  
Israhelitanas, populis haec iussa ferentes,  
Vt clangente tuba magno clamore salutent  
Absalona sacro dignum diademate regem,

Moenibus Hebronae qui nunc circumdatus altis  
420 Imperat atque sedens populo dat iura uolenti.  
*Achitophel* Achitophel Gilone fuit uir nobilis urbe,  
Artibus instructus belli. Mox Absalon illum  
Accitum primo post se sublimat honore,  
Vt regat ille suo semper quaecunque regenda  
425 Consilio meliore forent castrisque domique.  
Inde animi audacis iuuenis frontisque proteruae  
Extemplo caedit lectas in sacra bidentes,  
Necdum panda iugo detritos colla iuuenos  
Immolat atque omnes dudum sua signa secuti  
430 Coniurant spondentque fidem regemque salutant.  
Inque dies populus patriae de finibus orae  
Concurrrens turmas augebat; agmina telis  
Horrebant uariis uenientum ad moenia magnae  
Hebronae. Iuueni tanto magis Absaloni  
435 Iam conquirendi creuit fiducia regni.  
Nuncius ad regem tantos deferre paratus  
Solicitus uenit. Verbis rex territus eius  
Et secum recolens Nathani dicta prophetae,  
Cum quibus ille fuit dudum mala multa minatus  
440 Cognata de gente sibi, decreuit ab armis  
Abstinere modo iussitque recedere secum  
*Dauidis fuga* Vrbanum populum. "Caedamus sedibus istis,  
O mihi fida manus, ne uiribus Absalonis  
Oppressi effuso pereamus sanguine!" dixit.  
445 "Externi nunquam timui certamina belli,  
Et natum nunc ecce meum exhorrescere cogor.  
Me petit infestus meus Absalon. Haud satis illi  
Inquinasse fuit fraterno sanguine dextram,  
Per mea festinat comprehendere uiscera regnum.  
450 Caedamus tanto sceleri tantoque furori,  
Caedendi dum tempus adest." Abiere uolentes  
Cum Dauide simul domus omnis, omnia plebis  
Agmina: Celethi legiones atque Philethi  
Sexcentique uiri Getha procul urbe profecti,  
455 Inde reuertentes, comites Dauidis ut essent  
Et bello socii. Dux horum fortis Etheus  
Atque animo praestans fuerat. Conuersus ad illum  
*Dauid ad Etheum* Dauid "Ethee," inquit "mentis mihi note fidelis  
Constantisque animi, non est, ut nostra sequaris  
460 Signa quidem! Solymis tutus potes aduena nostris  
Esse satis. Redeas, oro, tecumque tuorum  
Agmen agens media securus in urbe quiesce.  
Non haec bella Syros spectant, nec moenia uestrae  
Poscuntur Gethae. Vexat discordia solam  
465 Israhelitarum gentem. Me pellere regno

Expetit et pulso sceptris genitore potiri  
Absalon. Ergo abeas et me sine fata subire  
Crimine digna meo." Sic fatus protinus ora  
**Etheus respondet** Perfudit lachrymis. Cui sic respondit Etheus:  
**470** "Dimisi patrios quondam, rex magne, penates  
Te propter. Nunquid qui tecum prospera caepi  
Hactenus, aduersa nunc pressum sorte relinquam?  
Sed, peragat quodcunque uelit fortuna, sequemur  
Te tergumque tuum, quoquo te uerteris, omnes.  
**475** Siue petes mortem seu uitam, numina iuro,  
Nusquam abero milesque tuus morietur Etheus  
Tecum una, si forte mori te uiderit, arma  
Semper in omne feret maiusque pauore periculum  
Pro te proque tuo, Daudid charissime, regno.  
**480** Frustra igitur suades, ut te fugiente reuertar,  
Me sine te seruem." Sic fatus in agmine mansit.  
Hinc ubi iam fixam mentem cognovit Ethei  
Iesseides Daudid, iussit transire cohortes  
Ultra Cedronis torrentes fluminis undas.  
**485** Ibant demisso non lentis passibus ore,  
Profusis moesti lachrymis et lumina retro  
Flectentes, natale solum dum linquere lugent  
Et dulces pariter chara cum coniuge natos.  
His iter ingressis iuxta iuga consita oliuis  
**490 Sadoch Abiathar** Desertum uersus, Sadochus et Abiatharus  
Ecce sacerdotes ueniunt reliquique Leuitae,  
Portantes humeris diuini foederis arcam.  
Censuit indignum tali se munere Daudid  
Atque ait: "Hoc sacrum pignus referatur ad urbem.  
**495** Illic de nobis oracula certa petantur,  
Illic quaeratur, sacris modo rite litatis  
Aetherio regi, quid iam parat ipse futurum.  
Illum si nostri miseret iam, subtrahet istis  
Suppliciis seruosque suos ad tecta reducet  
**500** Antiqui patriique soli. Sin mulcta paratur  
Vlla mihi, patiar domino quodcunque libebit.  
Quicquid erit, curate mihi responsa referri.  
Interea latebras desertae quaerere terrae  
Est animus, donec noscam, quid numina summi  
**505** Me iubeant regis." Tunc demum rettulit arcam  
**Daudidis dolor** Sacra tribus. Porro turba comitatus ab omni,  
Montis oliueti cliuum quum scandere Daudid  
Coepisset, nudis pedibus calcabat arenas,  
Ora rigans lachrymis, nigro uelamine tectus.  
**510** Hoc imitata phalanx omnis tristisque gemensque  
Terga sequebatur regis. Mox forte relatum  
Acceptum Daudid, uaftrum nimis Achitophelem

In castris residere feri ducis Absalonis  
Sublatisque alte palmis orauit et inquit:  
515 "Da, quaeso, fatuam mentem, deus, Achitopheli  
Consiliumque minus prudens!" Hinc montis ab ipso  
Chusus Culmine conspexit Chusum, sibi saepe probatum  
In dubiis uirtute, fide, moderamine rebus.  
Hunc igitur iussit simulata mente redire  
520 In Solymas. Inquit: "Tum te de parte fatere  
Esse Absalonis. Dic, postquam uenerit, illi:  
'En ego, qui fueram Daudis fidus amicus,  
Absalon, ipse tuus modo sum. Tu uiuere tantum  
Me permitte tibi.' Quod si te coeperit uti,  
525 Aggredere inde, tuo ut turbes Achitophelis  
Astu consilium. Mox quicquid dixerit ipse  
Absalon et quicquid tractauerit, auribus abde  
Sadoch Abiathar Sadochi sociique eius simul Abiathari.  
Hi mihi cuncta quidem per natos reddere semper  
530 Achimas Ionathas Curabunt, Achimas qui sunt Ionathasque  
uocati."

## <Liber XI>

### ARGUMENTVM

Regum lib. II, cap. XVI. Siba seruus munera obtulit Daudi. Miphibosetum dominum suum defectionis insimulat. Daud fugiens Absalonem uenit in Baurim. Semei maledicta patitur. Absalon Chusum Hierosolymas ingressum recipit. Achitophelis impulsu patris concubinis palam abutitur. XVII. Achitophel petiit, ut persequatur Daudem. Chusus intercessit. Absalon sequitur sententiam Chusi. Chusus per internuncios certiolem facit Daudem. Qui missi fuerant, uiderunt post se uenire Absalonis milites, et latuerunt in puteo. Recedentibus egressi ueniunt ad regem et suadent fugam. Achitophel repudiatae suae sententiae dolore laqueo sibi mortem consciuit. Daud ingreditur oppidum Castra. Absalon transit Iordanem. Amasam praeficit exercitui. Castrametatur in Galad. Daud auxilia accipit a regibus Amonitarum. XVIII. Constituit tribunos Ioabum, Abisam et Etheum. Hi direxerunt aciem aduersus Absalonem. Rex in oppido remansit. Commisso proelio Absaloniani caeduntur. Ipse Absalon fugiens per capillos implicatur et confoditur. Rex audita uictoria lugere coepit Absalonis necem. XIX. Omnibus qui cum Absalone fuerant pepercit. Amasam eius ducem Ioabi collegam fecit.

## Lib. XI

Iam uix ingresso Solymarum moenia Chuso  
Absalon ecce etiam magna comitante caterua  
Aduenit laterique latus magis omnibus haerens  
Achitophelis erat. Sed talia dum urbe geruntur,  
5 Iam iuga transierat montis magis ardua Daudid,  
Quando illi occurrit seruus cum munere Siba,  
Siba seruus Miphibosetum insimulat perfidiae in regem Siba  
suo domino malefidus Miphiboseto.  
Adueniens prono Daudidem uertice adorat  
10 Atque offert geminos pressos sub pondere asellos.  
Pondus erat totidem Baccheo plena liquore  
Tergora Cyniphio direptae de grege pellis,  
Bis centum rubidi panes uuaeque manipuli  
Centeni passae, centeni denique scirpi,  
15 Inseti siccis dulcique sapore mariscis.  
Talia dona ferens "Haec" inquit "munera seruus,  
Rex uenerande, tuus tibi pauper porrigo Siba.  
Plura daturus eram, si fors mihi plura dedisset.  
Res angusta domi largis affectibus obstat,  
20 Sit uoluisse satis." Postquam rex omnia uultu  
Acceptit placido, "Donis iocundior" inquit  
"Es mihi, Siba, tuis, animum dum penso fidelem  
Solicitemque mei. Sed dic, ubi natus amici  
Est nostri Ionathae, cui seruis, Miphibosetus?"  
25 Ille ex composito meditatatas ante loquellas  
Siba in dominum suum Tempore captato multa cum fraude ferebat:  
"Absit, ut hic dominus mihi sit, qui mente fideli  
Non tibi deseruit! Quem quaeris, mansit in urbe  
Spe uana exultans ac dicens: 'Tempore in isto  
30 Sceptra mihi regni tandem reddentur auiti.  
Pro me bella gerit nunc Absalon'. Ista loquentem  
Deserui fugique procul tua signa secutus.  
Malo mori tecum quam uiuens corda fouere  
A regnis aliena tuis." Sic lingua locuta est  
35 Perfida, plena dolis. Dictis quoque credulus istis,  
Exardens odio rex dixit: "Miphiboseti  
nota Quae fuerant, iubeo tua sint!" Proh semper iniquum  
Mentis iudicium! Delato crimine quenquam  
Vnius damnare fide nullamque tuendi  
40 Sese uelle reo penitus concedere partem.  
Ecce insons dominus fundis exire paternis  
Cogitur, ut seruo tradantur. Scilicet istam  
Mercedem meruere doli fraudesque nefandae

Fallacis famuli. Scelerati praemia facti  
45 Siba ferens, laetus sanctam remeavit ad urbem.  
Dauid patitur maledicta Semei Rex inde abscedens Baurinum uenit in  
agrum.  
A Bauri egressus Saulina stirpe superbus  
Geriades Semeus, de montis rupe propinqua  
Contra Dauidem lapides torquere furendo  
50 Coepit et hunc ipsum contenta carpere uoce:  
"I nunc, crudelis regnator, perfide serue,  
Haeredi regnum qui quondam Saulis ademptum  
Vi retines! Sed iusta dei uindicta scelestos  
Insequitur mores. Nati propelleris armis,  
55 Qui non iure tuis alios oppresseris ante.  
Nunc tali meritas pendis pro crimine poenas."  
Sic iuga percurrens montis clamabat in illum  
Plana incedentem, medium cingentibus alis  
Abisas ad regem Praestantum uirtute uirum. Tunc fortis Abisas  
60 Ad regem conuersus ait: "Quonam usque procaci  
In te latrabit lingua canis ille nefandus,  
Optime rex? Sine me, petulantia protinus ora  
Hoc caedam gladio!" Sic dicens porrigit ensis  
Ad capulum dextram, Semeum quoque lumine toruo  
65 Suspexit. Sed enim miti sermone minacem  
Rex respondit Rex cohibere uirum conatus "Desine" dixit  
"Velle illum punire hominem. Fortasse iubente  
Haec maledicta deo nobis nunc ingerit audax,  
Et quis iussa dei reppererit? Ecce parauit  
70 In me bella meus nimium crudelia natus,  
Et non uis uerbo me gens aliena lacessat?  
Mitte illum, si sic statuit deus, et mihi probra  
Ingerat ille idem. Forsan patientia nostra  
Placabit nobis commoti numinis iram  
75 Et deus haec fatis mutabit fata secundis."  
Ergo ibant taciti, Semeo de rupe tonante  
Vocibus indignis et scrupos puluere mixtos  
Spargente in regem, probri simul omnia causa,  
Donec eo post terga procul longeque relicto  
80 Desertos adiere locos siluamque uirentem:  
Illic compositis curarunt corpora castris.  
Absalon interea media stetit urbe superbus.  
Chusus ad Absalonem Ad quem Chusus ait: "Salue, rex inclyte, salue!"  
Absalon ad illum Ast ille admirans: "Cur non Dauida secutus,  
85 Chuse, tuum fueris, tam semper deditus illi?"  
Respondit Chusus: "Meus est rex, Absalon, ille,  
Quem deus elegit, quem plebs populusque probauit  
Israhelitanus. Chusus quoque seruiet ipsi.  
Obsequiosus eram regi, nunc regis alumno

90 Obsequiosus ero. Fas est, ut regis amicis  
Successor regni tandem dominusque fruatur."

**Comparatio** Hinc ueluti exultat comperto forte uiator  
Ante pedes auro, prolata prendere dextra  
Illud festinat, spectat oculisque reponit,

95 Tunc usurus eo, quum res tempusque requireret,  
Sic laeto excaepit Chusum tunc Absalon ore  
Mellitis captus sermonibus. Impiger inde  
Consilium accito sibi postulat Achitophele,  
Quid facto sit opus iam primum tempore in illo.

100 At uero ille uidens plebis nutantia corda,  
Ne sublato odio composta pace quiescant  
Absalon et Daudid, tum quae manus arma secuta  
Absalonis erat, regi daret emula poenas,  
Vt dubiam tollat cunctis iniuria mentem

105 Mox illata patri, "Nosti" inquit "in urbe relictas  
**Achitophelis sceleratum consilium** Vxores regis. Fac harum corpora  
cuncti

Compressu stuprata tuo cognoscere possint,  
Et componendae caessabit credula pacis  
Suspicio, laesum quum sic Dauida fuisse  
110 Constabit." Quid agis, consultor pessime rerum?

Achitophel, quid agis? Non est diuturna potestas  
Per dirum quaesita nefas! Non laeditur actu  
Turpi solus homo, magis hoc stimulat in iram  
Ipsa dei summi maiestas. Perdere regna,

115 Erruere et uicos solet hic iratus et urbes.  
Absalon admonitus pauimentum scandit apertum  
Conspicuoque loco canopea repente tetendit.  
Illic compulsas fertur stuprasse nouercas.

Et patuit cunctis ingens scelus, improbus ille  
120 Quo testatus erat contra Dauida parentem  
Se gerere hostiles animos infensaque corda.  
Achitophel post haec animo uersare scelesto  
Euentum coepit belli pugnamque futuram.

**Achitophel ad Absalonem** Absalona petens inquit: "Bis milia dena

125 Lectorum iuuenum sumens, tua certa uoluntas  
Affuerit si forte mihi, regalia castra  
Hac nocte inuadam. Populus conterritus omnis  
Terga dabit, solus nostris circumdatus armis  
Corruet ille senex, cuius, ne sceptrum capessas,

130 Obstat uita tibi. Sublato salua redibit  
Turba uirum. Cuncti pariter tua signa sequentur  
Et iam Iudeo tutus dominaberis orbi."

Dicta quidem laeto susceperat Absalon ore  
Quique aderant natu maiores illa probabant.

135 Absalon ipse tamen Chuso quum uerba uocato

Achitophelis ibi dudum prolata referret  
Et, quidnam super his sentiret, forte rogaret,  
**Chusus euertit Achitophelis consilium** "Achitophelis" ait Chusus "mihi  
displicet istud  
Hac uice consilium. Vires roburque uirorum,  
**140** Qui Dauida tegunt, nosti: praestantia bello  
Corpora sunt illis fortesque in proelia dextrae.  
Inde tuus genitor discrimine quam sit in omni  
Prospiciens, quam mente sagax, quam promptus in armis,  
Nemo est quem fugiat. Sed nunc fortasse periculum  
**145** Vitans ipse latet, ducibus moderanda relinquens  
Illo castra loco. Quo si certamen inibit  
Achitophel casuque unus de plebe tuorum  
Occidet, exhibit rumor cecidisse trecentos  
Inuadetque metus reliquos ipsique fauere  
**150** Dauidi incipient. Ergo tibi tutius istud  
Accipe consilium: Totas modo collige gentes,  
A Dani incipiens ad fines usque supremos  
Vrbis Bersabae. Venient, si iusseris, omnes.  
Vix illos capiet campus. Iam copia tanta  
**155** Arma gerens tecum, quoquo te uerteris, ibit.  
**Comparatio** Atque hac mole uirum, ueluti quum Nilus inundans  
Contegit effusis late arua patentia lymphis,  
Sic omnem operies turmam Dauidis et uno  
Illum congressu prosternes uimque tuarum  
**160** Effugiet nemo legionum. Siqua tenebit  
Vrbs illos, poterit circumdare funibus ipsam  
Copia tanta uirum medioque in flumine tractam  
Mergere, ne ex illa restet uel calculus unus.  
Et quum tanta tuo fuerit res aedita ductu,  
**165** Te metuent omnes, cunctas tua fama per urbes  
Procurret uolitans. Praelatum regibus ibit  
Nomen in astra tuum. Tua denique gloria nullo  
Post haec saeculorum spacio delenda manebit."  
Talis tunc Chusi placuit sententia cunctis.  
**170** Absalon ipse suae succensus laudis amore,  
Assensit renuens quicquid suadere sagaci  
Consilio conatus erat Gilone creatus  
Achitophel, quanuis arguto prouidus astu.  
Ergo dei nutu sic contigit, Achitophelis  
**175** Vt recte consulta leues spargantur in auras  
**Absalon** Dignaue Maacha lueret supplicia natus.  
Inde sacerdotes Sadochum atque Abiatharum  
Ipsae sibi notos secreto Chusus adiuit  
Atque aperit quaecunque modo tractata fuere  
**180** Et decreta simul, monuit quoque cuncta referri  
Curarent regi rexque ut transiret ab illo,



Quo posuit sua castra, loco, ne uiribus idem  
Vix numerandorum uicina nocte uirorum  
Oppressus pereat. Tunc hi misere fidelem  
**185** Ancillam, ferat hoc Ionathaeque Achimaeque, manebant  
Qui tunc urbe procul, Rogelis adusque fluenta.  
Ancillae instructi uerbis mox ambo profecti  
Absalonis ubi post se decurrere seruos  
Viderunt, abiere citi ingressique Baurim  
**190** Intran in puteum lympharum humore carentem.  
Consciaque illorum mulier formidinis, albo  
Contegit os putei tenuis uelamine telae,  
Se ptisanae fingens illic siccare liquorem.  
Accurrunt lixae mulierque rogata fatetur  
**195** Illos praecipiti transisse per auia cursu.  
Foemineis illusa dolis, ea turba retrorsum  
Caedendo redeunt Solymarum moenia uersus,  
Hi quoque de puteo surgentes iam modo coeptam  
Tendunt ire uiam pariter castrisque recepti  
**200** Rem sibi commissam Dauidi ex ordine pandunt  
Persuadentque fugam. Iussit rex signa mouere  
Sub noctis tenebris, Iordanis protinus amne  
Transmisso sese festinans sistit in urbe.  
**Vrbs Castra** Castra fuit nomen munitae moenibus urbi,  
**205** Illic cum tota sedit rex ipse cohorte.  
Achitophel uero, postquam sua spreta uideret  
**Achitophel se suspendit** Consilia et Chusum quam se iam pluris haberi,  
Immani affectus rabie impatiensque doloris,  
Discedens subito Gilonis tecta subiuit  
**210** Consciuitque necem sibimet, circumdata colla

**Ira nota Confringens laqueo. Tales habet exitus ira**

Immodicusque furor. Si, quo se effundere possit,  
Non est, autorem contra crudescere sueuit.  
**215** Absalon innumeram ducens ad bella cateruam  
Transmisso Iordane ferox Gallada citato  
Contigit arua gradu properans fessusque resedit  
Praefecitque ducem poscenti praelia turmae  
**Amasa dux** Expertum bellis Amasam, genitore creatum  
**220** Iethra, matre Naa, Iezrelae sedibus urbis.  
Dauid erat Castris et ad hunc in sedibus illis  
**Qui uenerunt auxilio Dauidi** Versantem uenere uiri, qui Rabbata  
quondam  
Arua colunt, et quos Lodobarae ditia terrae  
Regna tenent, et qui Rogelae tecta frequentant,  
**225** Gallada regione sitae, memoresque recepti  
Quandoque obsequii, grata illi in tempore dona  
Congessere simul: uestes et stragula durae

Commoda militiae pictisque tapetia uillis,  
Vasa Saguntino complurima conlita luto,  
230 Frumenti multos modios multosque farinae,  
Polentam, fabam lentemque cicerque calenti  
Pallade perfrictum, mel dulce et pingue butirum  
Ballantumque greges ouium tenerosque iuencos,  
Ne procul a patria populos ieiuna uagantes  
235 Ante fames superet, quam tela hostilia uincant.  
Subsidio fidens diuino denique Daudid,  
Quando dei nutu sibi talia missa putabat  
Munera et externae solertia corpora gentis  
Auxilio uenisse suis, ad bella cohortes  
240 Iam subeunda parat. Legio data prima Ioabo,  
Altera Abisae, sed reliquam sortitur Etheus,  
Olim Gethea Solymas qui uenit ab ora.  
Praepositis ducibus quum tandem signa moueri  
Cerneret, ipse etiam cum primo exire parabat  
245 Agmine, sed proceres illum timuere periculo  
**Duces ad Daudidem** Obiectare graui. Tunc omnes "Nolumus" aiunt  
"Ad bellum uenias. Nos haec in praelia mitte.  
Tu uero maneat Castrorum tutus in urbe,  
Confugium uictis ut sis, uictoribus ampla  
250 Virtutis merces. Donec tua uita manebit,  
Stabunt incolumes spes omni tempore nostrae,  
Nunquam lapsa cadet populi fiducia, Daudid,  
Te saluo. Quauis modo nos superauerit hostis,  
Rursum collecta pugnabimus undique gente,  
255 Inuictus dum uiuis eris." Rex talibus ergo  
Assensit tandem dictis atque urbe resedit.  
Tunc solio ad portas innixus stabat eburno,  
Quando per has totae sese effudere phalanges:  
**Daudidis exercitus** Ibant turmatim clypeos et tela ferentes,  
260 Passibus aequatis seruatoque ordine cuncti  
Ac promptis animis. Daudid mandata tribunis  
Certa dabat, forti committant praelia dextra  
Auxilioque dei freti certamina faxint,  
**Daudid de Absalone sollicitus** Absalona tamen ne laedant. Omnibus istud  
265 Auribus ingestum cupiebat, parcere uitae  
Illius ut uellent, tanto ferebatur amore  
In natum quauis ipsi postrema minantem.  
Explicuere tribus in saltibus Ephraimae  
Sese utraeque acies. Instant torquentque sagittas,  
270 **Pugna** Clamant, concurrunt, gladios in uulnera stringunt,  
Comminus inter se pugnant et praelia miscent.  
Mars dubius primum, sed mox Daudidica turma  
Acrius insistens retro sibi caedere cogit  
Aduersas acies Absalonisque cohortem.

275 Sparguntur toto fugientum corpora campo.  
**Comparatio** Concusso ueluti siquando soluitur alueo  
Agmen apum, sese portis effundere certant  
Diuerseque uolant, longe lateque feruntur  
Vrgentesque fugam stridoribus aera complent,  
280 Sic Absalonis quum uertere terga phalanges  
Coepissent, per saxa ruunt perque aspera dumis  
Aequora praecipites. Letho dat corpora uictrix  
Multa uirum legio. Multi, quos tetra fugatos  
Excaepit silua, rabidi periere leonis,  
285 Vel graue frendentis laniati dentibus apri.  
Ex illis igitur, qui regem mente rebeli  
Aduersum stabant, bis illo milia dena  
**Absalon** Oppetiere die. Fugiebat et Absalon ipse,  
Velocis muli fodiens calcaribus armos.  
290 Quadrupes elapsus subter querceta repente  
Pendentem ramis dominum implicitumque capillis  
Vltra praeteriens nodatum uertice liquit.  
Suspensum quidam uidit currensque Ioabum  
Effecit certum. Contracta fronte Ioabus  
295 "Miles iners," inquit "cur illum caede merentem  
Afficere es veritus? Cuius fera pectora ferro  
Si transfixisses, siclis donatus abires  
Bis quinque argenti. Lumbos argentea zona  
Cingeret inde tuos."—"Haud tanti dona, Ioabe,"  
300 Respondit "sunt haec, ut nostra regia proles  
Occumbat dextra. Nunquid non talia nobis  
Rex mandata dabat, quum nos spectaret ab urbe  
Propensis animis ad praelia Martis euntes:  
'Absalona meum nullis ego laedier armis  
305 Praecipio, parili si non succumbere fato  
Me quoque percupitis?'"—"Mitte" inquit "uana" Ioabus  
"Argumenta modo! Dic: quo manet ipse locorum  
Sic pendens?" Tunc ille manum porrexit et ipsum  
Ostendit digito. Rapiens tria pila Ioabus  
310 **Absalon occiditur** Accessit propius, quae uibrans torsit in illum,  
Perforat et trina pendentis cuspide pectus.  
Atque ubi iam moriens agitaret in aere crura  
Motibus alternis, eductis ensibus illum  
Armigeri pariter feriunt caeduntque Ioabi,  
315 Donec distento dilapsa est corpore uita.  
Hanc illata patri passa est iniuria poenam!  
Denique sublato tunc Absalone Ioabus,  
Nolens reliquias fugientis perdere turbae,  
Insonuit cornu raucoque reducta canore  
320 Agmina caessarunt armis urgere fugatos.  
Absalon exanimis deponitur ab arbore, terrae

Redditur et lapidum deformi tectus aceruo  
Marmoreo caruit post talia fata sepulchro,  
Qui cupidus regni genitori bella mouere  
325 nota Ausus erat demens. I nunc et regna, superbe,  
Non iuste quaesita para, grauis esto parenti,  
Tale impune scelus si pertulit Absalon ipse!  
Absalonis colossus Quanuis ille sibi non longe a moenibus urbis  
Nomen marmoreo, laudem famamque colosso  
330 Quaesierit posito. Quis non simulachra uidendo  
Rettulit ad mentem uel tanti criminis ausum,  
Vel plectente deo tam dignam crimine poenam?  
Quum iam reliquias uictae certamine gentis  
Ad patrium rediisse solum constaret, Achimas  
335 Sadochides petiit, domitos ut nunciet hostes,  
Passibus ad regem gradiens Dauida citatis.  
"Nolo," Ioabus ait "nolo, charissime Achima,  
Nuncius ut fias casus sortisque dolendae,  
Dauidis quoniam crudeli uulnere natus  
340 Absalon interiit. Regi tamen omnia narret  
Chusus Arachites." Dixit dictumque recepit  
Chusus et exurgens cursu transmitters campos  
Incepit Dauida petens. Permissus Achimas  
Currere post illum, compendia nota uiarum  
345 Corripit et plenis praecurrit passibus ultra  
Ac prior adueniens ad limina prima sedenti  
Iesseidae regi superatos nunciat hostes.  
At rex sollicitus de nati nosse periclo.  
Narranti occurrens "Hem, quid meus Absalon," inquit  
350 Achimas "Anne satis sanus?" Cauit mala dicere Achimas  
Atque ait: "Armorum nondum reticente tumultu  
Nosse nihil potui. Veni, uictoria tantum  
Vt tibi nota foret." Dum talia fatur Achimas,  
Chusus Applicuit Chusus. Sed pectore fessus anhello,  
355 Vix uerba euoluens referebat et ipse phalanges  
Aduersas mundi rectore fauente fugatas.  
Sitne puer sanus, Dauid rogat. Ille parumper  
Cunctatus dixit: "Patiatur talia quisquis  
Hostiles animos in te, rex inclyte, gestat!  
360 Dauid dolet Absalonis necem Absalon interiit." Dauidis corda  
dolorem  
Concaepere grauem, fortunae oblita secundae.  
Hinc abiens summae supra coenacula portae  
Absalona suum moesto clamore uocabat  
Et frustra ingeminans iterumque iterumque uocabat.  
365 Morte sua cupiens defuncto reddere uitam  
Si posset nato, quanuis offensus ab illo.  
Huius tristitiae diffusus rumor ad ipsum

Induperatorem clarum uirtute Ioabum  
Peruenit primum, mox agmina tota repleuit  
370 Laetaque turbabat uictricis corda cateruae.  
Demissis uenere animis atque ore silenti  
Illorum in morem, qui duro Marte fugati  
Amisso ad patrios redeunt ductore penates.  
Iamque indignati nolebant moenibus urbis  
375 Introferre pedem sparsusque per agmina murmur  
Ibat damnantum regem dubitansque Ioabus,  
Ab Dauide uelitne iam secedere miles  
Iratuque alium sibi tandem quaerere regem,  
Ingreditur portas et adhuc Dauida gementem  
380 Talibus affatur dictis atque increpat ultro:  
*Ioabus ad Dauidem* "Quo tibi mens abiit tantum indulgere dolori,  
O rex, ut nolis laetos admittere laeto  
Victores uultu? Turbat nanque ista maniplos,  
Quam praefers, facies. Tibi fidos uertis in iram.  
385 Haecce dona uiris reddis, qui sanguine uitam  
Seruauere suo tibi, rex, regnumque dedere  
Iam pene amissum? Quod si modo uictor abisset,  
Cuius fata doles, sceptro potiretur et omnem  
Delesset populum tua, Dauid, signa secutum.  
390 Exi igitur gentique tuae magis ore fauenti  
Atque hilari occurras. Quod si cunctatus id ipsum  
Distuleris, sperni se credent protinus omnes  
Indigneque ferent et te (mihi crede) relicto  
Constituent alium, cuius mox iussa sequantur."  
395 Talibus auditis, iam facto fine querelae,  
Descendit Dauid portaeque ad limina sedit  
Purpureae uestis iocundo tectus amictu.  
Conspicuis cunctis, diademate tempora cinctus,  
Aurea sceptrum tenens, inuito gaudia uultu  
400 Ostentans caelansque suo sub corde dolorem.  
Conuenere uiri uictricia signa ferentes  
Belligerique duces et coram rege coacti  
Vna omnes illum laeto clamore saluant.  
Israhelitanae timuit pars altera plebis,  
405 Altera spe ueniae sese sustentat et inquit:  
"Quid sumus expauidi, quod fauimus Absaloni?  
Absalon in bello periit, peccauimus isti,  
Quem tetigit pietas nati sibi regna parati  
Eripere et uitam, cur non miserebitur idem  
410 Nostri etiam? Tantum submissa uoce precemur  
Errori ueniam. Placatus cuncta remittet  
Ille suo populo, pro quo tot praelia gessit  
Quemque Palestinis toties tutatus ab armis  
Cum uultus sudore sui est capitisque periculo."

415 Talia dum iactant suspensi speque metuque  
Et nec adhuc parci sibi poscunt, nuncius illis  
Dauid omnibus pepercit, qui Absalonem secuti fuerant  
Aduenit regis Sadochus et Abiatharus.  
Hi dixere simul: "Vobis timor omnis abesto!  
420 Omnibus offensam Dauid dimittit et addit:  
'Omnes ecce sumus coniuncto sanguine fratres  
Fraternoque libens omnes amplector amore.  
Amasas Non Amasas metuat ductoris munere functus  
Me contra, nostrae uolo sit dux ille cohortis  
425 Et collega meo noto uirtute Ioabo.  
Ergo securi ueniant regemque reducant.  
Prima tribus Iuda accedat reliquaeque sequantur,  
Victores uictique simul. Rex omnibus unus  
Quum sit, cuncti unum comitantes moenibus urbis  
430 Illatum Solymae iusto uenerentur honore."  
His dictis pulsus uerterunt terga timores  
Praeuenitque preces cunctorum gratia regis  
Et concessa prius uenia est, quam uocibus ullis  
Implorata foret. Tanto spirante fauore  
435 Securi uenere omnes nomenque tulere  
Dauidis super astra pii clamore secundo,  
Quem nullis solitum superari scilicet armis  
Ingenerata suo cordi clementia uicit.

## <Liber XII>

### ARGUMENTVM

Regum lib. II, cap. XIX. Dauidi Hierosolymam reuertenti prima occurrit tribus Iuda. Semeus pro maledictis impetrat ueniam. Occurrit et Siba cum filiis. Venit Miphiboseth habitu lugubri. De Siba seruo questus est coram rege. Rex iussit, ut diuidant inter se bona. Berzelaus Galadites, inuitatus ut Hierosolymis habitaret cum rege, excusauit aetatem et regi filium Chamaam reliquit. Reliquae tribus altercantur cum Iuda, quod sine se occurrerit regi. XX. Seba mouit seditionem. Rex ingreditur urbem, Concubinas ab Absalone pollutas a se separat. Ducibus iniungit, ut persequantur Sebam. Ioab Amasam collegam per amicitiae simulationem interimittit et cum Abisa fratre profectus obsedit Abellam, quo Seba confugerat. Seba mulieris persuasum a ciuibus interempto recessit et reuersus est Hierosolymam. XXI. Fames triennis fuit, eo quod Saul non seruauerat iusiurandum a Iosuo Gabaonitis datum. Dauid tradidit eis septem uiros de domo Saulis, quos illi suspenderunt. Respha mater ibi sedit custodiens eorum

corpora. Daud transtulit ossa Saulis et Ionathae a Iabitis ad terram Benjamin et cessauit fames. Pugna inita cum Palestinis Iesbenodob percussurus regem excipitur telo Abisae et cadit. Daud ultra non est permissus exire ad praelium. Secunda pugna Saboch interimit Zaphum. Tertia Adeodatus Goliam. Quarta Ionathas, Samae filius, hominem XXIII digitos habentem.

## Lib. XII

Iam noctis tenebris Phoebosurgente fugatis,  
**Mane** Quum tamen in tenera staret ros lucidus herba  
Et nec adhuc radiis haustus solaribus humor  
Deficeret, Daud Castris post terga relictis  
5 Ibat ouans Solymas, cunctis comitantibus ipsum.  
**Tribus Iuda** Primaque Iuda tribus properauit praepete cursu  
Ad Iordanis aquas et sacra repente fluenta  
Irrumpens, regem transuexit protinus ultra.  
Dum rex aduersae iam staret in aggere ripae,  
10 **Semeus** Aduenit Semeus, comitatus gentibus urbis  
Baurinae, quos mille uiros adiunxerat illi  
Beniamina tribus. Tum culpae conscius idem.  
Prostratus coram submissa uoce profatur:  
**Semeus poscit ueniam** "Peccaui, fateor tibi, rex, infanda locutus  
15 Te contra, ueniam supplex peto. Parcere tanto  
Laus tibi maior erit, mea quanto maior habetur  
Improbitas. Igitur superet clementia crimen  
In te commissum. Nequaquam iniuria, Daud,  
Vlla, reor, tanti est, ut non pietatis ob illam  
20 Recordere tuae. Quando dimittere laesus,  
Non punire soles, quoties sua crimina fassus,  
Te quibus offendit, doluit reus et sibi supplex  
Ignosci petiit, nunquam non compos abiuit  
Ipse sui uoti. Spes me quoque talis adegit  
25 Sub tua iura meam penitus committere uitam,  
Non minus esse ratus crimen diffidere de te  
Tam miti domino, quam uerbo laedere regem  
Tam magnum indigno." Sic fatus lenia regis  
Sperabat responsa dari, dum laeta uideret  
30 **Abisas** Ora oblata sibi, quando turbatus Abisas  
Exclamans dixit: "Nunquid modo mitibus usus  
Verbis hic Semeus meritas euadere poenas  
Iussus erit? Cuius tanta est audacia mentis,  
Vt non sit ueritus probris discindere coram  
35 Israhelitarum sacratum chrismate regem?"  
**Daudis clementia** Ergo Daud ait: "Quo nos euenit ouantes

In patriam remeare die, damnabitur illo  
Hebrei generis quisquam mortemue subibit?"  
Et mox ad Semeum conuertens lumina: "Pone,  
40 Gerra nate, metum" dixit. "Mala cuncta remitto,  
Quae commissa doles. Post haec peccare caueto:  
nota Supplicium grauius delicta iterata merentur."  
Siba etiam regi iocundos obtulit ultro  
Dauidi uultus, Tyrio quem palla colore  
45 Ornabat, cui turba latus munibat utrumque,  
Viginti famuli, nati ter quinque, uideri  
Dum uellet magnus. Seruorum scilicet iste  
Superbia seruilis Naturae mos est, quoties emergere uili  
Conditione datur, pompato incedere fastu,  
50 Diuitias iactare suas, gaudere popelli  
Plausibus et uulgi mirantis uana susurro.  
Assentari omnes et claram spargere uocem  
Coeperunt: "Viuat per plurima saecula felix  
Rex Dauid, domitor regum uictorque uirorum!"  
55 Miphibosetus Affuit et pedibus malesanus Miphibosetus,  
Saulica progenies, inculto squalidus ore.  
Crinibus impexis, demissa in pectore barba,  
Vestibus illotis. Cui Dauid: "Miphibosete,  
Cur mea non fueris fugientis terga secutus?"  
60 Miphibosetus ad Dauidem Ille imo de corde miser suspiria ducens  
"Fraudibus illusus serui, rex optime, Sibae,  
Extra ferre pedem Solymasque exire nequiui,"  
Inquit "quum uellem. Quid enim mihi gratius unquam  
Quam tua terga sequi, seu praelia saeua facessas  
65 Seu meditare fugam? Te uiuo uiuere uellem,  
Te moriente mori. Sed enim quia corpore claudio  
Carpere iter plantis tecumque exire pedester  
Nequaquam poteram, Sibae isti mando, pararet  
Afferretque mihi, qui me peruectet, asellum.  
70 Ast hic iumento fugit malefidus abacto  
Et falsi factus delator criminis, idem  
Exuit ecce bonis me tali fraude paternis.  
Hoc si fas iustumque putas, sit Siba peculi  
Totius dominus, tantum mea mensque fidesque  
75 Ne fiat suspecta tibi. Te semper amaui,  
Te colui semper. Tibi me, dum uita superstes  
Sustinet hos artus, nunquam seruire pigebit.  
Deleri meruit Saulis genus omne nefandis  
Illius in te odiis, at te miseratio menti,  
80 Rex, innata tuae sic flexit, non modo ut esses  
Offensae oblitus, sed me de Saule nepotem  
Adiutum uelles: fundos mihi caedis auitos  
Concaedisque tuae conuiuia dulcia mensae



Perpetuoque foues, o rex, mea uiscera uictu,  
 85 Victu regalis luxus et frugis opimae.  
 His meritis fateor dignas persoluere grates  
 Non opis esse meae. Fidei sanctissima iura  
 Inuiolata tamen seruabit Miphibosetus,  
 Rex uenerande, tuus, donec uitalibus auris  
 90 Vsus erit pedibusque solum calcauerit istud."  
**Dauid respondit** Respondit Dauid: "Deceptum me quoque uerbis  
 Confiteor Sibae. Nimum quod credulus illis  
 Extiterim, doleo; piget et decreta mouere  
 Iam firmata semel. Parti medeamur utrique:  
 95 Diuidite inter uos quicquid concessimus uni!"  
 Illic Rogela Galadites urbe profectus  
 Berzelaus erat, qui munera contulit ipsi  
 Regi, quum fugeret natum Castrisque sederet,  
 Diuies enim pecudum fuerat frugumque redundans.  
 100 **Dauid ad Berzelaum** Ad quem rex inquit: "Charissime Berzelaus,  
 Quum modo tu mecum non sis transire grauatus  
 Iordanem, mecum Solymas accedere sanctas  
 Vt dignere, rogo, laribus requiescere nostris  
 Teque tuosque uelim. Tu nostra semper in aula  
 105 **Respondet** Post me primus eris."—"Grates ago, maxime regum,"  
 Berzelaus ait "quod tanti me facis unum,  
 Sed me tale quidem prohibet mea grandior aetas  
 Accipere oblatum, quanuis optabile, munus.  
 Octuagena meae uitae iam uoluitur aestas  
 110 Iamque oculos uisus linquit gustusque palatum.  
 Surdescunt aures, aegros tremor occupat artus  
 Sanguineque exhausto totum frigescere corpus  
 Incipit et mortem digito monstrare propinquam.  
 Ergo meos sine me, quaeso, remeare penates,  
 115 Vt potius patrio ponam mea membra sepulchro  
 Quam tibi mox oneri fiam turbaeque tuorum.  
 Nanque aliud quid sim nisi stans uiuumque cadauer?  
**Chamaas** Hic tamen, hic nostrum Chamaam, rex inclyte, natum  
 (A te ne totus uidear decedere) linquo.  
 120 Ipse abeat tecum, qui primae flore iuuentae  
 Perfruitur, cuius iam uis satis apta labori  
 Satque audax animus. Totos tibi seruiat annos  
 Sitque tuus semper, quando memet quoque, Dauid,  
 Esse tuum fateor." Correpta protinus ille  
 125 **Dauid ad illum** Ipsius dextra "Chamaam mihi" dixit "amice  
 Accipio gaudens, ut, dum tua munera nobis  
 Ante oblata nouo nunc accumulatur aceruo  
 Plura referre parem. Chamaam uolo iungere natis  
 Ex hoc ecce meis. Fidei monumenta paternae  
 130 Afferet, ante oculos quoties uersabitur istos.

(Et simul elata tetigit sua lumina dextra  
Atque ait:) Huic talem me, Berzelae, futurum  
Spondeo, tu qualem fore uotis omnibus optas.  
Siquid et ipse petes, nullam patiēre repulsam.  
135 Promissi ingentis tibi sit mea dextera testis."  
His dictis illum, postquam dedit oscula, linquens  
Cum famulis patriae repetentem moenia terrae,  
Ad Solymas tendit Galileaque transmeat arua  
Agminibus septus totaque cohorte suorum.  
140 Israhelitarum ueniens gens obuiat illi  
Atque tribum Iudam, quoniam traducere regem  
Prima sit ausa, palam uerbis obiurgat amaris.  
Tribus Iuda Ast illi contra "Generis" dixere "tribusque  
Rex Daud nostrae est, censemur nomine Iudae  
145 Nos atque ipse simul. Fungi ergo munere tali  
Cui mage conueniens fuerat? Traduximus illum  
Non prece, non precio flexi iussuue coacti,  
Sed solo obsequio studiisque ad honesta paratis.  
Non est, quod nobis irasci mente proterua  
150 Debeat hinc quisquam uel quicquam triste minari."  
Israel Israhelita cohors, nec adhuc sedata, superba  
Voce magis clamat: "Gradibus quum excesserit omnes  
Nostra tribus denis, nos ante assistere regi  
Fas erat, et nostras uos ecce assumere partes  
155 Ausi estis; nostrum cur surripuistis honorem?"  
Talia iactabant alterna iurgia lite  
Rege quidem coram, frustra conante malignos  
Rixantum strepitus miti cohibere loquella.  
Altius exurgens mentes accenderat ira,  
160 Seba secessionis a rege autor Quando Seba satis Gemineo sanguine  
notus,  
Notior ingenio patrandā ad crimina prono,  
Intonuit cornu cunctisque tacentibus inquit:  
"Linquamus Dauida suis! Abscedite, turmae  
Israhelitanae, maneant, quos praetulit ipse  
165 Iesseides nobis, nos nostra ad tecta petamus!"  
Secessere tribus omnes et rege relicto  
Sebae terga sequi coeperunt agmine longo.  
Sed tantum gens sola quidem fidissima Iuda  
Permansit cum rege suo regemque secuta est  
170 Atque ipsum Solymae regalibus aedibus urbis  
Intulit et solio considerare fecit eburno.  
Separat Daud a se mulieres ab Absalone stupratas  
Continuo Daud mulieribus imperat illis,  
Quas Absalonis foetarant supra nefanda,  
175 De laribus transire suis longēque remoto  
Hospitio positus iussit quoque limina claudi,

Carceris in morem. Nulli inde exire dabatur,  
Nulli aditus patuit. Ferro clatrata fenestra  
Prospectum tribuit uitaeque alimenta recaepit.  
180 Hic intus mansere diu sine coniugis usu  
Blanditiisque thori, donec sua tempora Daud  
Viuido implet gelidosque relinqueret artus.  
Post haec sollicitus, Sebae discordia regni  
Ne turbet fines, Amasam uocat et simul illum  
185 Rex Amasam iubet cum Ioabo persequi Sebam Talibus affatur: "Ductor  
charissime nobis,  
Nonne uides, Amasa, quanto mihi Seba superbus  
Extiterit probro? Mea nam consortia liquit  
Submouitque tribus. Vereor, ne nostra molestet  
Absalone magis bellorum turbine regna.  
190 Quare age, perge, tribum solers tibi collige Iudam.  
Tertia punicea quum luce aurora rubere  
Coeperit, hic adsint omnes, qui nomine Iudae  
Censentur, muniti armis ac tela gerentes."  
Tertia punicea de caelo lampade terras  
195 Aurora in roseis lustrabat lutea bigis,  
Quando Iuda cohors Amasa duce uenit ad ipsum  
Daudis limen, Liciis instructa sagittis,  
Arcubus Ithireis, fundis Balearibus, hastis  
Cuspidis Etholae, gladiis, quos Norica tellus  
200 Quosque Calibs gelida fulgentes mittit ab Arcto.  
Hos ita munitos iussit rex agmina Abisae  
Iam dudum dimissa sequi cuneosque Ioabi,  
Viribus ut iunctis Sebae molimina frangant  
Marte magis facili. Portis glomerantur apertis  
205 Armataeque ruunt Amasa moderante phalanges  
Lataque festinis permensae passibus arua,  
Gabaon Perueniunt Gabaon, mediis ubi saxea campis  
Exurgit moles et sydera uertice pulsat.  
Illic occurrens Amasae collega Ioabus  
210 Succinctus gladio "Salue, charissime" dixit  
Amasam dolo perimit Ioab Apposuitque manum mento, quasi grata  
daturus  
Oscula, sed ferro, cui se manus altera iunxit,  
Perforat aduersi uentrem. Tunc corpore aperto  
Intestina fluunt, trepidat percussus et albo  
215 Ore petit terram perfusaque sanguine membra  
Voluit humi et subita depressus morte quieuit.  
Inuidia Proh scelus! Inuidiam quis digne carpsit? Illa  
Imbuti insidias, fraudes, incendia, caedes  
Immeritos contra meditantur. Quippe Ioabus  
220 Collati socium sibi consortemque nequiuit  
Ferre magisterii, miserum nil tale timentem

Innocuumque Amasam ficto decaepit amore  
Et nimis indigna properauit perdere morte.  
Non alia Abnerum donauerat ante salute,  
225 Blanditiis fallens, donec transuerberet ipsum  
nota Incautum ferro. Semper metuenda dolosi  
Ergo hominis fraus est, fuerit mens perfida cuius  
Nota semel: laqueos palpando callidus aptat,  
Melle uenena linit, ientacula mittit in hamo,  
230 Oscula dans perimit. Media recubare cadauer  
Conspexere uia. Quidam magis ore procaci  
Insultans misero "Vade," inquit "quaere Ioabi  
Esse loco et primos, Amasa, tibi poscito honores!"  
Indeque sublatos extincti transtulit artus  
235 Veste tegens, ne plebs gressum compesceret ipso  
Illic conspecto, qua transitus esset eunti  
Ad bellum turmae. Submotaque agmina mora  
Hac inter inceptum peragunt post signa Ioabi  
Postque sui pariter uestigia fratris Abisae.  
240 Qui Sebam Sebaeque manum gentemque superbam  
Marte sequi iussi infestoque inquirere bello,  
Bethmaca regione suas posuere cohortes,  
Ioabus obsidet Sebam in Abella Turritas circum structuram urbis Abellae.  
Illic inclusum toto conamine Sebam  
245 Oppugnant. Duris tandem coepere dolabris  
Subruere urbanae sublimia moenia molis,  
Vimineis tecti pluteis et crate saligna.  
BOMBARDA Nondum terribiles duro formata metallo  
Aedebant sclopos uentris tormenta cauati,  
250 In quo sulphureus conclusus dum furit ignis  
Dumque agitat flammam, ora obturata repente  
Laxat et emissas iaculatus turbine pilas  
Fulmineo, quarum uel multa concitus ictus  
Ferratos frangit postes, procumbere turre  
255 Cogit et aequoreo naues subsidere fundo,  
Concidere armatas acies. Crudele profecto  
Inuentum dignumque suus quo concidat autor,  
Vt quondam cecidisse ferum Salmonea dicunt,  
Dum caeli tonitrus demens imitatur et ignem  
260 Aetherium. Minus ille nocens, magis iste cruentus,  
Inuento similis, meruit sic plectier ergo,  
Vt seu maiorem seu poenam ferret eandem.  
Sed dum non segni studio laceratur Abella,  
Principibus matrona uiris aequanda, feroci  
265 Nixa animo dubiisque simul bene prouida rebus,  
Inscendit muros, patriae poscente periculo,  
Et clamore ducem propius uocat inde Ioabum.  
Mox ita de summis affatur turribus illum:

Mulier Abellaana ad Ioabum "O praestans multa uirtutis laude Ioabe,  
270 Cur fidam regi subuere funditus urbem  
Aggrederis? Tentanda, prius quam bella moueres,  
Conditio tibi pacis erat, sic lege iubente.  
Cur nondum experta pergis nos perdere pace?  
Quid petis his armis? Nunquid peccauimus omnes,  
275 Omnes ut duro statuas delere duello?  
Quando seu dicto seu facto laesimus ullo  
Vel te uel regem, mala talia culpa mereri  
Ioabus respondet Nostra ut credatur?" Respondit ad ista Ioabus:  
"Nullius uestrum, mulier, me crimen adegit,  
280 Vt uobis haec bella feram uel moenia uexem  
Vestra modo. Si non istam fugisset in urbem  
Seba satus Bochro, cuius mens perfida regem  
Offendit grauiter, nequaquam milite muros  
Oppugnare suos uidisset Abella Ioabum.  
285 Sebam posco mihi: quem si conceditis unum,  
Haec procul a laribus discedent agmina uestris."  
Foemina responsum iocundo tale Ioabi  
Excipiens uultu "Sebae caput ecce, Ioabe,  
Ne dubita, dabitur" dixit retroque reuersa,  
290 Consuluit populo uerbis sapientibus ipsi.  
Seba occiditur Illius monitis commoti, protinus armis  
Circumstant perimuntque uirum truncantque cadauer  
Abscissumque caput de muro in castra Ioabi  
Proiiciunt et "Tolle," aiunt "quod iure petisti,  
295 Magne uirum ductor! Sic sic, quicumque molesti  
Dauidi fuerint, pereant et crimina tali  
Caede luant." Vidit Sebae tunc ora Ioabus  
Sanguine foeda suo reliquisque carentia membris.  
Hoc quoque iudicio factum reor esse Tonantis,  
300 Diuiso ut iaceat tumulans corpore, cuius  
Seditione pium plebis pars altera regem  
Deserere ausa fuit seruoque fauere superbo.  
Iamque sui compos uoti laetusque Ioabus  
Dat signum clangore tubae properatque recessum.  
305 Impedimenta legunt iussi, uexilla reuellunt,  
Conuertunt currus, fustes uallosque refigunt,  
Obsidione leuant urbem retroque uolutis  
Passibus abscedunt. Tandem peana canendo  
Ingressi Solymas, regem clamore salutant.  
310 Praefectura datur totius militiai  
Post confecta quidem iam talia bella Ioabo.  
Ast ipsis tantum Celetheis et Pheletheis  
Banaias Banaias praefectus erat, non tardus ad arma,  
Ioiaada genitore satus. Sed cura tributi  
315 Aduranus Fertur Adurano commissa fuisse legendi.

**Iosaphat** Natus Ahiudo Iosaphatus gesta notare  
Annua iussus erat. Scribarum maximus unus  
**Siba Sadoch** Nomine Siba fuit. Curabant sacra Sadochus  
**Abiathar** Atque Abiatharus, sed primus honore sacerdos  
**320 Hiram** Hiramus fuerat, qui dicitur Iraithes.  
Hi tunc atque alii magni moderamina regni  
Rite gubernabant, homines sine fraude fideles,  
**Dauid in utraque fortuna probatus** Cum Dauide suo, fortuna utraque  
probato.  
Instabilis quoniam diuersa uolumina sortis  
**325** Non semel expertus, tulit atri turbinis ictus  
Forti animo, et laetis rerum successibus usus,  
Elata nunquam processit fronte superbus.  
Perdomito Seba tristis felicia fata  
Expulit euentus. Pluuias dare denegat aether,  
**330** Terra satas fruges. Pallentes carpere uultus  
**Fames** Coepit dira fames. Reuoluto cardine caeli  
Vnus et uni alter similis successerat annus.  
Tertia deterior peiorque prioribus aestas  
Venit, et ingentes plebis Dauida querelae  
**335** Induxere piis oracula poscere uotis  
Immensumque rogare deum, quae causa negati  
Victus, cur steriles tota trieteride glebae,  
Irrita spes hominum toties cassique labores.  
Tunc demum uox lapsa polo peruenit ad imum  
**340 Deus ad Dauidem** Vsque solum, dicente deo: "Si libera tali  
Peste tui cupias foecunda noualia regni,  
In Gabaonitas scelus acre ulciscere Saulis.  
Quam uitam seruare illis iuratus Iesus  
Pollicitus fuerat, Saul abstulit." Ergo uocatis  
**345** Rex Gabaonitis: "Ceciderunt crimina Saulis  
In caput ecce meum! Quia non punita reliqui,  
Esuriem patimur, uacuos et frugibus annos.  
In uos ille fuit crudelis: poscite poenas  
Aduersus genus omne suum stirpemque cruentam,  
**350** Quandoquidem diuum sedet haec sententia regi,  
Vt Saulis facinus purgetur caede suorum.  
Oro, meo tantum uos parcite Miphiboseto,  
Quem genuit Ionathas, mihi fidus semper amicus."  
**Gabaonitae ad regem** Tunc illi memores, quae quondam funera passi,  
**355** Quas hominum clades, contra ipsos Saule furente,  
"Rex uenerande uiris, rex" aiunt "omnipotenti  
Chare deo, nobis aequum iustumque uidetur  
Pro morte illata poenas exposcere mortis.  
Ergo satis poteris nostrae fecisse ruinae,  
**360** Saulini generis si nobis corpora septem  
Caesseris. Illa quidem crucibus suspensa dolatis

Quum fuerint, saeuire dei mox desinet ira."  
Hos ubi cognouit Dauid sic esse locutos  
Numinis instinctu, se dixit cuncta daturum,  
365 Quae peterent, iussitque duos de Saule creatos,  
*Septem de Saulis genere dati Gabaonitis ad necem* Quos illi genuit coniux  
mitissima Respha,  
Adduci coram. Quibus addit corpora quinque  
Natorum, peperit Saulis quos nata Merobe,  
Hadrihelis coniux, et quos germana Merobes  
370 Nutrierat tuleratque sibi formosa Michola.  
Hos septem morti addictos ductosque repente  
Ad Gabaon gens illa tulit montisque supremo  
Vertice suspensos auibus liquere ferisque.  
Tempus erat, quo iam maturae germina messis  
375 Falce secanda solent uiridem mutare colorem  
Tostaque curuatis tandem flaescere aristis.  
*Respha Saulis uxor* Affuit hic genitrix natorum Respha duorum.  
Traxerat hanc pietas. Haec talia fata suorum  
Tristibus heu lachrymis oculos perfusa dolebat  
380 Pendentes spectans natos spectansque nepotes.  
Ancillis comitata suis noctesque diesque  
Perstitit infelix pendendum sub cruce custos,  
Ne forte exanimes rostris mordacibus artus  
Dilaniant corui. Donec deposta referri  
385 Corpora uidisset, nunquam discessit ab illo  
Moesta loco potuitue suos finire dolores.  
Subtrato recubans de uili stamine panno  
Aspera saxa super, uentos tolerabat et imbres,  
Aedibus usa prius regalibus usaque supra  
390 Molles aurati plumas requiescere lecti.  
*nota* Sic mutat fortuna uices: quae rege marito  
Gaudebat quondam, nunc caelo tristis aperto  
Exigit insomnes in terrae puluere noctes.  
Resphae gesta pii turbarunt uiscera regis,  
395 Quum fora peruolitans atque urbis compita rumor  
Illius patulas tandem uenisset ad aures.  
Tam miseranda igitur commotus sorte, Iabinam,  
Quae regione sita est Gallada, pergere certos  
Iussit et his mandat, non digno condita quondam  
400 Illic ossa loco Ionathae Ionathaeque parentis  
Vt tollant. Etenim Gelboo monte preemptos  
Turma Palestinae Bethsanam transtulit urbem  
Suspenditque foro medio, furtimque Iabitae  
Sublatos tulerant secum tumuloque locarant.  
405 Hos terra euulsos, illos de stipite raptos  
Regia missa manus portauit Beniaminae  
Ad loca nota tribus, ubi Cisi tecta recumbunt

Ossa patris, posuitque suis propiore sepulchro  
Marmoribus, patriae careant ne sedis honore,  
410 Sic mandante pio mitique per omnia rege.  
Talibus aetherio placato numine sacris  
Terra suas fruges fudit magis ubere laeto  
Lataque collectae ruperunt horrea messes  
Vndantesque lacus grauidis dedit uua racemis.  
415 Agricolae uotis descendens nubibus imber  
Respondere quidem coepit certisque diebus  
Irrorare satas caelesti flumine terras.  
Nullus, ut ante, famis mansit pauor: omnia pleno  
Pabula uitai tribuit noua copia cornu.  
420 nota Tantum iussa dei prodest implere piisque  
Officiis miseros solari opibusque iuuare.  
Inde Palestinae rursus fera bella cateruae  
Iudeis inferre parant. Se credere pugnae  
Dauid pugnat cum Palestinis Iesseides ausus, magno discrimine uitae  
425 Horrendum certamen init. Dum praelia miscet,  
Illum terribili petit hasta Iesbidenobus,  
Stirpe Gygantea monstroso corpore uastus.  
Hastae eius ferrum centum grauitate quadrantes  
Aequabat pariterque grauem succinxerat ensem.  
430 Victus erat Dauid, si non in tempore Abisas  
Subsidium ferret, qui uulnere Iesbidenobum  
Lethali feriens ipsum Dauida periculo  
Eripuit fatoque citus subtraxit acerbo.  
Iesseida saluo uictoque exercitus hoste  
435 Se non passuros iurant, ut prodeat ultra  
Ad bellum Dauid subeatue pericula secum,  
Israhelitanae pereat ne gloria gentis  
Ipsa uno amisso. Reuoluto tempore paruo  
Iterum pugna Ecce iterum Gobio concurrunt agmina campo.  
440 Inde Palestinae gentes, hinc turba cohortis  
Israhelitanae. Zaphum ferit ense Sabochus,  
Vsathia regione satus, uiditque cadentem  
Ipsa Palestinae gentis manus atque repente  
Fugit uersa retro. Nam Zaphus magnus et ipse  
445 Esse Gyganteae ferebatur stirpis alumnus.  
Rursus Iudei superant Tertia palma loco Iudeis contigit illo:  
Hinc illinc magno surgebant praelia motu,  
Hostes terga tamen rursus uertere pauentes,  
Quum conspexissent fortem cecidisse Goliam  
450 Ense Deodati, Bethlemis clarus in oris  
Quem genuit Salthus praestantem robore multo  
Corporis atque animi. Non est hic ille Goliath,  
Sed par ferme illi, quem Dauid uerbere fundae  
Quarta uictoria Prostrauit pastor. Quarti uictoria belli



455 Hostibus ex istis Getheo morte perempto  
Constitit. Ante alios statura ingentior illi,  
Terribiles artus et brachia singula senos  
Tendebant digitos, eadem quoque summa supremis  
In pedibus fuerat reliquique simillima forma  
460 Corporis erecto priscorum more colosso.  
Hunc alacer Ionathas, Sameae notissima proles  
Dauidisque nepos, contento perculit arcu,  
Et penetrans costas intra praecordia ferrum  
Delituit. Tunc ille ferox immania torquens  
465 Membra dedit tristes gemitus uictusque dolore  
Corruit et uitam lapsus dispersit in auras.

## <Liber XIII>

### ARGUMENTVM

Regum lib. II, cap. XXII. Dauid ab omnibus inimicis liber cecinit laudes Domino et pro beneficiis gratias egit. XXIII. Iam morti proximus psalmos cantauit, in quibus mysteria Christi praedixit. Contexit cathalogum robustissimorum in Israel. XXIII. Ioab iussus numerat uiros bello idoneos per omnes tribus. Dauid hac in re se peccasse fatetur. In poenam peccati proposita trium malorum optione eligit pestilentiam. Vidit angelum percutientem. Statuit altare in area Areunae. Obtulit holocausta, et cessauit morbus. Regum lib. III, cap. I. Dauid senex refrixit. Abisac Sunamitis dormiebat cum illo, ut ipsum calefaceret. Ipse uero inuiolatam reliquit.

### Lib. XIII

Iam post bella quies, iam saeua et tristia finem  
Pax Accepere suum, iam nubila tetra serенаe  
Caesserunt luci. Nihil est, quod regna lacessat,  
Quod populum turbet, quod regis corda fatiget.  
5 Exin laetitiae tactus dulcedine Dauid  
Sustulit exutam curis ad sydera mentem  
Arreptaque lyra cordas pulsare canoras  
Diuiasque referre pio modulamine laudes  
Coepit et has sacro depromere pectore uoces:  
10 Dauid deo laudes cecinit "O deus, aetherii uirtus et gloria regni,  
Principium sine principio, sine fine perennis  
Maiestas! Tibi laetus ago, pater optime, grates,

Qui me iam pridem sceptri dignatus honore,  
Casibus aduersis defenderis et mihi contra  
15 Multorum insidias fueris tutamen et idem  
Omnibus in bellis fauor, in certamine uirtus.  
Tu mihi spes ueniae, tu legis gratia laesae  
Offensaeque grauis mihi tu placabile numen,  
Tu lux in tenebris, nostrorum cura laborum  
20 Et tranquilla quies. Meritis maiora dedisti  
Praemia tu nostris nobis, tu crimina poena  
Expurgare pius uoluisti nostra minore  
Quam qua dignus eram. Tua me miseratio nunquam  
Deseruit. Nunc, oro, meae miserere senectae!  
25 Perpetua da pace fruar sedesque quietas  
Huic animae concede, deus, da, dona salutis  
Expectata diu capiam. Quum tempora saeculi  
Incipient melius promisso currere fato,  
Tunc Dauida tuum cum gente et plebe fideli  
30 Transfer ad aetherias aeterni luminis arces,  
Vt iam, quando tuos dabitur mihi cernere uultus,  
Tecum perpetuo uiuam feliciter aeuo  
Angelicosque inter cuneos noua gaudia carpens  
Sedibus in superis maneam sine fine beatus."  
35 His aliisque modis dum cantat, spiritus illum  
Diuinus penetrans uenturi pandere iussit  
Temporis euentum donique arcana superni.  
Inde magis dulci permulcens aera cantu  
Prophetat spiritu sancto plenus "Ecce deus praesens" inquit "mea pectora  
replet,  
40 Eloquio mouet ora nouo cantusque ministrat  
Aetherios. Magnus mundi dominator et autor  
Lucidior Sole est, quum caelo mane sereno  
Oritur et radios per terram spargere late  
Incipiens toto caecas fugat orbe tenebras.  
45 Fertilior terra est, pluuio quae rore madentes  
Explicuit glebas, fructus mortalibus almos  
Suppeditans uarii generis gratique saporis.  
Non Dauidis erat tanti domus, omnibus unam  
Vt praeferre pares, o rerum conditor, illam  
50 Aeternaeque uelis matrem firmare salutis.  
Exulta iam, Iuda tribus, tibi virginis almae  
Christus Debetur partus! Gaude, Iesseia radix,  
Germen quippe tuum peccati morte peremptos  
Restituet uitae, lapsum simul eriget orbem!  
55 Flete, quibus male firma fides errore labascit,  
Quorum diuino mens est incredula uerbo!  
Auulsi patria de sede peribitis omnes  
Spinarum in morem, quae falce secantur acuta

Suppositoque igni flamma crepitante cremantur

60 Et cinis immundus fiunt, immane furentis  
Huc illuc subito spargendus turbine uenti."

Haec ait. Inde uidens opus altae robore mentis  
Esse quidem nobis, nequando blanda uoluptas  
Illecebris adoperta suis nos temnere cogens

65 Vitalis uirtutis iter perque inuia ductos  
Calcata ratione trahat sub iura prophanae  
Mortis et incautos ad tristia Tartara mittat,  
Contexit seriem clarorum Marte uirorum,  
Vt uelut hi magnis connixi uiribus hostem

70 Corporis oppressum superantes, praemia laudis  
Indepti fuerint, sic nos certamina contra  
Demonis atque dolos pugnemus, corda tegendo  
Et fidei nunquam difracta casside sanctae  
Et thorace spei semperque calentis amori.

75 Huc Dauid referens heroum facta suorum  
Commemorat cantu sacroque ita digerit ore:

**Cathalogus fortium** "Insignes uirtute uiros cantemus et armis,  
Quorum praecipue ductu uictoria gentis  
Constitit Hebraeae et palmae decora alta cupitae.

80 **Dauid** Me primum uoluit summi clementia regis  
In numero residere trium uirtute priorum.  
Corporis et mentis uires mihi praestitit ille,  
Illius hoc donum est, illi sit gloria laudis  
Ista meae semper, cuius sunt omnia munus.

85 Eius ope adiuti pignantum corpora contra  
Octingenta uirum congressu uicimus uno.

**Iesbanus** Iesbanus laudis dignus mercede secundae,  
Ahamo genitore satus uictorque phalangis  
Ter centum primo fusorum Marte uirorum.

90 **Eleazar** Hunc Eleazarus sequitur, qui sanguine iunctus  
Illi et laude fuit. Nam magno natus Ahabo,  
Iesbani patruo, confertos irruit hostes  
Hos illos feriens, sternebat corpora ferro  
Obuia quaeque uirum, donec tot caedibus actis

95 Lassatus rediit uictor peperitque salutem  
Iam uictae plebi, quosque ante coegerat horror  
Vertere terga fuga, redierunt atque peremptae  
Exuuias turmae tuti laetique tulere.

**Semmas** Post illum Semmas Ararites, filius Aggae,

100 Laudetur, quoniam sociis fugientibus ille  
Castra Palestinae nisuque animoque feroci  
Irrumpens gentis, uallos deiecit et hostem  
Compulit ense furens decaedere protinus aruo,  
In quo tunc paruae lentis sata laeta uirebant,

105 Iamque suos uictos hic solus uincere fecit.

Soli tres isti facinus memorabile semper  
Aedere sunt ausi: Quum uertice rupis Odolae  
Ipse cohorsque simul sederemus, ualle propinqua  
Castra Palestinae gentis firmata manebant.

110 Me uexare sitis coepit, 'Quis deferet' inquam  
'Bethlemo e puteo dulcis mihi pocula lymphae?'  
Clauserat hostis iter, nusquam uia tuta patebat.  
Audax ergo trium manus haec mucrone corusco  
Dispescens medias acies transiuit et undam

115 Attulit ex illo, quo dixi, fonte bibendam  
Porrexitque mihi. Memet reprehendere coepi,  
Quod tam praestantes in aperta pericula passus  
Ire uiros fuerim. 'Nunquid potabimus' inquam  
'Sanguineum laticem, uitae discrimine partum?'  
120 Abstini potu delataque pocula libo  
Caelicolum regi. Coepit minus esse molesta  
Ipsa sitis, gaudente animo uirtute uirorum,  
Quorum nulla quidem reticebunt saecula laudem.  
Praeterea reliqui fortes certamine belli

125 Cantandi occurrunt, tribus his sed laude minores:  
Ioab Saruiades nostri dux agminis ipse Ioabus  
Bellator robustus erat, qui saepius istam  
Hostibus euictis gaudens remeauit ad urbem.  
Sed quia fraude suos astuque peremit amicos,  
130 Corruptit laudis uitii foetore decorem.  
Abisas Illo igitur maior censendus frater Abisas,  
Qui quondam forti uibrans hastile lacerto  
Hostilem fudit cuneum strauitque trecentos.  
Banaias Et tu Ioiadae, Banaias, uiuida proles,  
135 Tu Moabitarum geminos, acerrima quorum  
Vis erat, audaci potuisti uincere pugna.  
Tu cum terribili solus certasse leone  
In foueam saliens, in quam delapsus et ille  
Forte fuit, uictorque fera rediisse perempta  
140 Diceris. O uires animis praestantibus aequas!  
Tu post haec hominem procero corpore, Nili  
Ad ripas genitum, nodosae robore clauae  
Aggressus, gladio, quem tunc sua dextra gerebat,  
Extorto feriens, uitam illi atque arma tulisti.

145 Reliqui XXX Restant praeterea post hos memoranda uirorum  
Nomina ter denum, quorum promptissima bello  
Semper dextra fuit: frater sociusque Ioabi  
Asahel atque illi cognato iure propinquus  
Eleanan magnus, magnus quoque nomine Semma,  
150 Finibus ex Araris. Quibus annumeremus Elicham,  
Arodia de gente satum, de Phaltibus Ellen,  
Hiramum Thecuae clarum natalibus urbis

Atque Abiezerum cognominis Anathotitem.  
Isatheum post hos notum uirtute Mobonam,  
155 Ahoia Salmona simul regione creatum,  
Quos quoque Machareus comitetur Nethophatites  
Et cum fratre suo pariter censendus Elepho  
Ribaides Ithais cumque illo Pharatonites  
Banais ingenti uirtute et corpore paruo.  
160 Heldaus a torrente Gaa, simul Arbachites  
Albiadon dictus, Beronites Asamonetus,  
Heliab Albonius cumque his referendus et ipse  
Orodius Semmas. Chaias simul Arothites  
Et simul Elipheleth, proles generosa parentis  
165 Asbai. Post hos Gelonites acer Helias,  
Essatus pariter, Carmeli montis alumnus,  
Farrais Arbites, Igais, confinia Sobae  
Quo genito gaudent, et Gadda natus in urbe  
Bonnius et Selech, cultor regionis Amonae,  
170 Naraisque, ducem gestans post arma Ioabum,  
Hiras et Gareb, terrae Chiatritidis ambo,  
Aetheusque meis lachrymis deflendus Vrias."  
Talia commemorans clarorum gesta uirorum  
Clarorumque minus rex Dauid nomina tantum  
175 Fortes in fide Enumerans, signat Christi uexilla sequentum  
Esse duas acies. Primi mage fortibus armis  
Pugnantes superant uafri Cacodemonis artes  
Perfecti Affectusque malos, quos uitae blanda uoluptas  
Suggerit humanae. Nam paupertatis amore  
180 Omne facultatum studium curamque relinquunt,  
Corporis et casti uoto consortia uitant  
Diuersi sexus, ipsa et connubia temnunt.  
Victa cupido illis terreni languet honoris  
Sub pedibusque iacet, sancti quia subdere malunt  
185 Seruitii sua colla iugo quam scepra tenere  
Terrarumque simul toti dominarier orbi.  
Nonne igitur mundum tibi iam uicisse uidentur,  
Quando cupidinibus, quarum quoque sub iuga reges  
Ire solent, uictis ducunt ex hoste triumphos  
190 Ascenduntque hilares non ad Capitolia curru  
Caesareo, quae longa potest uastare uetustas,  
Erruere hostilis furor et consummere flamma,  
Sed gradibus uerae uirtutis ad alta beatum  
Regna, quibus uis nulla quidem nocitura timetur,  
195 Nec finem positura dies, quae plena bonorum  
Semper erunt penitusque malis obnoxia nullis?  
Illis sancte actae perstant rata praemia uitae,  
Caelestis domini nutu firmata perenni,  
Quae superant linguae fatus quorumque decorem

200 Vis nulla humanae potis est comprehendere mentis.  
Illuc fida cohors omnis compellitur. At non  
Est eadem cunctis merces. Vt lumina caeli  
Diuerso fulgore nitent, sic praemia iustos  
Non aequata manent, quoniam maiora merentur  
205 Quos mage commendat uitae superata cupido  
Mollius utendae. Tamen est et turba beatum  
**Minus perfecti** Et felix uulgus, quorum quia gesta tacentur  
Non ideo exclusos caelesti credimus aula,  
Sed legis plene seruatae dona mereri,  
210 Coniugii dum iura colunt foedusque pudici,  
Dum formare suos diuino dogmate natos  
Soliciti curant, dum castigare suorum  
Nil errata timent, miseros solantur et idem  
Sancta dei toto dum iussa facessere nisu  
215 Contendunt et lege suos componere mores,  
Nulli odium serunt, offensas denique censent  
Velle referre nefas, uitiiis seruire recusant  
Virtutisque student, quanuis non illa capessant  
Exequata polo perfectae culmina uitae.  
220 **nota** Sed, puto, nulli hominum mortali in corpore mores  
Esse adeo exacti possunt, quin labe notentur  
**Comparatio** Interdum culpae. Leuato lucida ferro  
Arma squalent tactu, candentia uela uapore  
Pulueris aut fumi, rursum polita priorem  
225 Accipiunt uultum, sic iusti uita cadendo  
Non perimit iusti nomen meritumue bonorum  
Ante peractorum. Nam protinus ille relicta  
Surgit humo tollitque suum de puluere corpus  
Efficiturque magis post nota pericula cautus.  
230 **Dauid** Hinc etiam Dauid, quanuis uirtutibus ingens  
Et pietate foret, peccasse aliquando refertur,  
Sed semper fecisse satis pro crimine fuis  
Ante deum lachrymis culpamque leuasse dolore.  
**Numerare iubet populum** Nunc quoque subuersus tumidae tentigine  
mentis  
235 Atque supercilio laudis per uana cupitae,  
Partes regni omnes iussit peragrare Ioabum,  
Vt numeret populos a Dani fontibus usque  
Bersabae fines, perlustrans omnia late  
Oppida cum uicis hominum non indiga cultu,  
240 Scilicet ut pateat, quam multis milibus unus  
Imperet et quanti pariter sua iussa facessant.  
Ast animum dictis aduertens ipse Ioabus  
Deque animi fastu noscens ea uerba uenire,  
Hoc salubre et prudens responsum reddidit illi:

245 **Ioabus ad Dauidem** "Augeat innumeris tua gentibus, optime princeps,

Regna deus tribuatque tibi felicius aeuum  
Quam tua uota petunt! Quorsum tamen ista cupido  
Irrepsit menti? Quid enim numerare necesse est  
Tot coetus hominum sedatis undique bellis?

250 Nonne istud fiet captatio laudis inanis,  
Ira digna dei?" Frustra decreta Ioabus  
Inconsulta sui nisus dissoluere regis,  
Mandatis paret comitatusque agmine magno  
Transit Iordanem, transit uallem quoque Gaddam,

255 Urbis Aroerae non longe a sede iacentem,  
Pazerosque adiit campos montisque Galadi  
Oppida lustrauit. Protentis passibus ultra  
Per loca Sydoniis Tyriisque propinqua uagatus,  
Venit ad Aetheos campos Chananeaue regna

260 Australemque plagam et Bersabae circuit oras.  
Donec cunctarum tribuum loca singula lustrat  
Enumeratque uiros, nouies repleuerat orbem  
Luna suum, nouies argentea lampade terras  
Lustrarat, bis dena dies processerat ultra.

265 Tum demum Solymas rebus rediere peractis.  
Nomina per multas porrexit scripta papyros  
Iesseidae regi ductor numeranda Ioabus.  
Israhelitarum bello matura iuuentus  
Robustique uiri, numerus quorum inde repertus

270 Millia mille fuit cum centum milibus una  
Et quingenta, tribus post illos milia Iudae.  
Beniamina cohors turbae subducitur isti  
Gensque Leuitarum sacris arisque dicata.  
Pertransisse quidem numerum tunc fertur eorum

275 Improba pertesus Dauidis iussa Ioabus  
Et posuisse minus quam quod numeratio plena  
Sufficeret plenusque daret tunc calculus illi.  
Nomina quum legeret reuolutis scripta libellis  
Tam grandis numeri, sensit se mente proterua

280 Iussisse hoc Dauid. Delicti conscius ergo  
Protinus has moesto profudit pectore uoces:

**Dauid peccati conscius poscit ueniam** "Peccaui, fateor, tibi, mundi maxime rector,

Praesenti hoc facto. Doleo peccasse rogoque,  
Stulticiis ignosce meis errataque flenti

285 Da ueniam, dignare scelus dimittere fasso."  
Talibus orabat tendens ad sydera palmas,  
Ora lauans lachrymis, quum tandem uenit ad illum

**Gad propheta** Gaddus, iussa dei portans crudelia, uates:  
"Ecce trium tibi, rex, diuino numine rerum

290 Optio proposita est, crimen populique tuumque  
Vt purgetur, siue annos improba septem  
Duratura fames dabitur, seu durius hostes  
Vrgentes tua terga suis patiere sarissis  
Mensibus ipse tribus, seu morbus pestifer isti  
295 Incumbet regno et ternis mors saeua diebus  
Sanguineo caedet mortalia membra flagello.  
Ellige quod mauis uel quod minus esse uidetur  
Acre malum, summi sic stat sententia regis.  
Ellige, ne differ, qui me tibi misit, ut illi  
300 Iam responsa feram." Demisso flebilis ore  
Dauid Dauid ait: "Quo me nunc uertam, nescio, uel quid  
Optem, Gadde, prius, tam sunt heu tristia cuncta!  
Ne tamen infidae gentes gaudere fidelis  
Caede queant populi, ne sese Aegyptia tellus  
305 Iactare, huc fruges nobis si miserit ulla,  
Nos totum debere simul, quod uiuimus, illi,  
Meque meosque omnes malo submittere dextrae  
Caelestis domini, cuius miseratio multa  
Et facilis pietas et iam placabilis ira.  
310 Hic nos percutiat, nobis medeatur hic idem!"  
Pestilentia Vix ea finierat, quum uis teterrima morbi  
Grassari in populos uacuareque ciuibus urbes,  
Stagna suis nautis coepit camposque colonis.  
Comparatio Sternuntur miseri, ueluti succisa securi  
315 Frondea silua cadit, flammis fomenta datura,  
Siue rates pelago, domibus seu tigna futuris.  
Atra lues nulli prorsus parcebat, in omnem  
Aetatem sexumque simul furibunda ruebat.  
Planctus ubique sonat tristisque ululatus ubique.  
320 Funere nulla suo caruit domus. Orba parentem  
Turba gemit, genitor priuatus prole reclamationem  
Contra fata dei, quod non decessit alumnos  
Grandior ante suos. Natis orbata capillos  
Dilacerat mater, secat unguibus ora cruentis,  
325 Verberat et pugnibus pectus similisque furenti  
Intento clamore tonat, dum nomine quenque  
Inuocat extinctum, dum pignora muta loquellis  
Affatur uanis uitamque in morte requirit.  
Ingemit infelix fratrem soror, ille sororem  
330 Effert cum lachrymis. Tumulo qui condere portant  
Corpora, mox eodem fracti langore peribant  
Perque uias passim aegri defunctique iacebant.  
Defecere manus, tam multa cadauera terrae  
Reddere quae possent scrobibusque inferre cauatis.  
335 Hoc tanto exitio longe lateque uagato  
Per regni fines, per gentis tecta superbae,



Millia dena hominum septem consumpta feruntur  
A Sole exorto, donec sua conderet ora  
Deuexo fugiens sup̄ter maris aequora curru.  
340 Atque haec tanta fuit tam paruo tempore clades  
Facta uirum casu morbi et numinis ira.  
Rexque patresque simul cilicino tegmine operti  
Deiectique solo lachrymis precibusque uacabant,  
Quando leuans oculos Daudid moerore grauatos  
345 Territus horrendo uisu est: demissus ab alto  
Daudid apparuit angelus Angelus eductum uibrabat flammeus ensem,  
A terra pendens bis denis altior ulnis  
In Solymasque minax saeuos protenderat ictus.  
Tunc igitur Daudid gelido perculsa pauore  
350 Corda gerens, tales trepido dabat ore loquellas:  
Daudid preces "Desinat ira, precor! Saeuum compesce furorem  
In populum, rex magne, tuum. Dic, cuspis acuta  
Angelicusque calibs aduersus meque meamque  
Saeuiat usque domum. Tua solus numina laesi,  
355 Solus perpetiar mala talia. Cesset ab istis,  
Quorum simplicitas muti gregis instar habetur,  
Cesset ab his gladius, cesset!" Nec plura locutus  
Ore petit terram prono pavidusque tremiscit,  
Comparatio Non secus ac ualidis qui tempestatibus actus  
360 Dimittit regimen puppis tacitusque moratur  
Horrisonos inter fremitus extrema minantes,  
Expectans, donec tumido ratis obruta fluctu  
Subsidat penitus, pereat simul ipse sub undis.  
Iam desperabat tantos finire labores  
365 Ante diem Daudid precibusque instare pigebat,  
Propositi nisi quum uenisset temporis hora.  
Sed deus omnipotens miseratus funera plebis  
Israhelitanae, Solymas ne caederet ultra,  
Ensifero iubet ipse suo, saeuire parato,  
370 Donec terna dies transiret. Nanque statutum  
Vindictae sic tempus erat, nisi mulcta dolore  
Compensanda foret sub lucis tempore primae  
Delictum lugente reo. Peccata merebant  
nota Supplicium tridui, sed poenam temperat omnem  
375 Pro male commissis dolor acer sponte receptus.  
Praeterea pietas Daudid tanta mereri  
Quid iam non potuit, populum qui morte suorum  
Atque sua cupiit dira de labe redemptum?  
Ad Daudida die properans accessit in illo  
380 Gad ad regem Fatidicus Gaddus dixitque: "Altare dicandum  
Pone deo. Locus altari decernitur isti  
Hospitis Arreunae breuis area Iebusei."  
Exurgit Daudid placando numine laetus

Arreuna Et loca nota petit. Cernens Arreuna uenire  
385 Tunc Dauida, nimis secum miratur et illi  
Pergit in aduersum. Propior iam factus adorat  
Submittitque caput "Salue, clarissime regum  
Quis te casus" ait "compellit uisere serui  
Tecta tui? Tali quis me dignatur honore,  
390 Vt merear paruo tam magni nominis archon  
Excipere hospitio? Non hoc sine numine summi  
Euenisse dei mihi donum credere par est."  
Dauid ad Arreunam Respondit Dauid: "Virtus me non mea magnum,  
Sed multa aeterni fecit clementia regis.  
395 Cui certe ut statuam candentis marmoris aram,  
Est mercanda tui modo nobis area campi.  
Atque ideo nunc ipse tuos, Arreuna, penates  
Accessi cupiens haec illi reddere uota,  
Pestifer ut cesset placato numine morbus."  
400 Respondet Ille sub hoc: "O rex, nulla mercede petitum  
Accipe ponendis sacris altaribus agrum  
Et positis offer poscentia munera pacem.  
Ecce boues etiam gratis tibi soluo iugales,  
Do stiuam, burim, temonem: suscipe aratri  
405 Instrumenta mei, ne desit uictima neue  
Ligna focus, rebusque tui, rex, utere serui!"  
Dauid Rursum rex inquit: "Nequaquam talia gratis  
Accipiam! Proprio placandum munere numen,  
Et non sponte dato restat mihi." Dixit et illi  
410 Quinquaginta dari signata numismata siclos  
Pro mercede bouum, sed plus pro iugere campi  
Iussit et extracta quadrati marmoris ara  
Sacra offerre deo coepit ueniamque precari,  
Fila mouere lyrae et modulatos dicere cantus.  
415 Placatum numen depulsa nube malorum  
Iam claro Hebreas spectabat lumine terras.  
Ille aetate grauis fractusque senilibus annis  
Sustentata leui gestabat membra bacillo.  
Frigidus atque tremens. Nulla ratione calere  
420 Quum posset, medicis placuit debere requiri  
Florentem tenera uiridique aetate puellam,  
Quae cum rege cubet. Quibus addita cura negoti  
Huius erat, primae gaudentem flore iuuentae  
Abisac Vultusque ante alias Abisacam orisque decore  
425 Praestantem ueterisque satam intra moenia Sunae  
Adducunt regi. Frigentia membra tepebant  
Fomento tali lecto recubantis in uno.  
Et licet illius strictis amplexibus usus  
Tota nocte foret, Veneris tamen acta refugit  
430 Illicitosque animi motus; constantia tanta

Iam senioris erat. Sic multum protulit aevi,  
Sic usque extremos uiuendo uenit ad annos.

## <Liber XIII>

### ARGUMENTVM

Regum lib. III, cap. I. Adonias, Daudis filius ex Agila, appetiit regnum. Bersabe coram rege queritur quod Adonias regnet, quum ipse iurauerit Salomonem post se regnaturum. Salomon igitur iussu Daudis ungitur in regem et in solio collocatur. Qui cum Adonia erant, terrii fugerunt. Adonias ad tabernaculum confugiens impetrat ueniam, egressus Salomonem adorat. II. Daud moriens dat praecepta Salomoni: ut deum colat, ut in Ioabum animaduertat, qui in pace duos principes: Abnerum et Amasam interemerat, ut Semeum, maledicum et seditiosum hominem, metu poenae compescat, peccantem puniat, ut Berzelai filios charos habeat, optime de se meritos. Obiit et sepultus est in arce Syon. Regnauit annos XL: in Hebron VII, Hierosolymis XXXIII.

**Adonias appetit regnum** Vidit Adonias, Agila de coniuge natus  
Daudi, multa confectum aetate parentem  
Ad metam duxisse suae curricula uitae,  
Et mente elatus regnique cupidine captus  
5 Aedificat currus, equitum peditumque cateruam  
Comparat et iussit, se iam pro rege saluent.  
Praecipui fuerant illius signa secuti  
Militiae princeps dimisso rege Ioabus  
Atque Abiatharus pura cum ueste sacerdos.  
10 At uero fidei sanctae mentisque probatae  
Inuenti, firmata quibus sententia mansit,  
Ab Dauide suo nunquam discedere rege:  
**Banaias, Sadoch** Ioiada natus Banaias atque Sadochus  
**Nathanus** Flamen cumque illo uates Nathanus et ipsi,  
15 **Celethi, Phelethi** Nomine Celethos quos dicunt atque Phelethos,  
Noti Marte uiri belloque experta iuuentus  
Partis regis erant. Fonti uicina Rogello  
Stabat acuta silex: Zeletham nomine dicunt.  
Hanc prope Adonias sacris de more litatis  
20 Conuenire iubet Daudis germina fratres  
Atque tribus Iudae partem sociosque patrandi  
Audacis facti, cuius manifesta cucurrit

Suspicio. Quoniam, quos nouerat esse fideles  
Dauidi, piguit tunc illos uelle uocare,  
25 Hoc est Nathanum Sadochumque et Banaiam  
Atque ipsum, promissa patris quem scepra manebant,  
Bersaba genitum Salomonem, et caetera fidae  
Pectora militiae. Salomonis matre uocata  
Nathanus uates scelus hoc et facta nefanda  
30 **Nathan ad Bersabam** Detestatus ait: "Num te, Bersaba, latere  
Debet, Adonias quid iam molitur? En ipse  
Regnat, et est facti talis mens inscia regis.  
Consiliis nunc usa meis i, dicito regi:  
'O rex, uiue diu! Num te iurasse pigebit  
35 Ancillae quandoque tuae Salomona futurum,  
Quem tibi progenui, tua iam post funera regem?  
Regnat Adonias.' Te sic cum rege loquentem  
Adueniens sermone meo uerbisque iuuabo."  
Aeger erat senio Dauid lectoque iacenti,  
40 Quicquid opus fuerat, solers Abisaca ferebat.  
Venit Bersabe regisque ingressa cubile,  
Inclinat submissa caput. Rex coniuge uisa,  
Quid uellet, rogat ipse prior. Cui protinus illa  
**Bersabe ad regem** Sic est orsa loqui: "Regum sanctissime, salue,  
45 Cuius ueridico rerum certissima quaeque  
Ore fluunt falsique nihil depromitur unquam.  
Per caeleste mihi iurasti numen, et istud  
Mente gero memori, quum te decaedere terris  
Fata uolent, regni quod sit rectorus habenas  
50 Et solio Salomon post te sessurus in alto.  
Promissum turbare tuum pactumque fidele  
Ausus, Adonias regnat. Tu nescius horum,  
Quae nunc te uiuo fiunt. Mactauit opimos  
Ecce boues ouiumque gregem fratresque uocauit  
55 Militiaeque ducem praecepit adesse Ioabum  
Atque Abiatharum. Spreuit Salomona superbus  
Ille tuum pariterque meum spretumque reliquit.  
Ergo tuo post te sceptro potietur et idem  
Nos tua proiectos longe de sede repellent?"  
60 Nondum cessarant Bersabes uerba loquentis,  
**Nathan** Quando Nathanus captato tempore uates  
Affuit ad limen ueniens portamque cubilis.  
Hoc referunt regi iussusque intrare propheta  
Venit et ad terram Dauidem pronus adorat:  
65 "Aeternum, rex, uiue," inquit "cui summa potestas  
Israhelitani populi data munere magni  
Et firmata dei est. Nunquid tua iussa secutus  
Regnat Adonias? Nunquid concesseris illi  
Scepra uolens soliumque tuum? Nam tempore in isto

70 Mactauit pingues uitulos ouiumque bidentum  
Veruecumque gregem, mensis epulisque paratis  
Iussit adesse suos lauta ad conuiuia fratres  
Egregiosque uiros, curandis Abiatharum  
Addictum sacris bellatoremque Ioabum.

75 Vescantum uox illa fuit: Rex omnibus unus  
Praesit Adonias! Quos fidos esse sciebat  
Ipse tibi, cauit tales ad sacra uocare:  
Ioiada genitum Banaiam meque tuumque  
Sadochum, cui sunt adolenda altaria curae,

80 Atque abs te genitum Salomonem. Talia forsitan  
Permissu sunt acta tuo, nec dicere nobis,  
Rex, tibi cura fuit, quem post te sceptrum tenere  
Decernas regni solioque sedere superbo."

Haec ubi dicta dedit Nathanus, protinus ille  
85 Imperat acciri Bersaben. Caesserat ipsa  
Hinc etenim, fieret quo libera copia fandi  
Nathano, quicquid uellet. Coramque uocata  
Astitit atque ipsi respondit talia Dauid:

Rex ad Bersaben "Nil dubites, Bersaba, modo! Tibi numina testor

90 Sancta dei, qui me tandem seruauit ab omni  
Sorte mali seruumque suum miseratus et urbem  
Erruit aduersis, sicut Salomona futurum  
Post mea fata tibi regem dominumque sponendi  
Astrinxique fidem iurans, sic fiet in ista

95 Te spectante die." Submisso uertice grates  
Egit Bersabe et Dauidi saecula multa  
Optauit uitae. Rex inde repente uocatis  
Principibus Nathano et Sadocho et Banaia

Dauid "Ite," inquit "nostram uobis adiungite gentem

100 Et super instratam phalerato tegmine mulam  
Ponentes Salomona meum, deducite laeti  
Ad Gyonis fontes, et tu, Sadoche sacerdos,  
Tu, Nathane, simul, uenturi conscie fati,  
Vngite uos illum diuino chrismate regem,

105 Increpitate tubis hilares et dicite:  
'Viuat, Viuat rex Salomon!' Quem rursus moenibus istis  
Reddite et in solio nostro residere iubete,  
Vt pro me regnet sceptroque innixus eburno  
Israhelitanam gentem regat, imperet unus

110 Omnibus, unius simul omnes iussa facessant."  
His illi auditis, "Animo" dixere "libenti  
Paremus tibi, rex. Firmet tua dicta supernum  
Numen et ipse deus, qui te seruare periculis  
Consuerat fortesque tibi qui subdidit hostes,

115 Ipse tuum Salomona iuuat, sublimius illum  
Euehat euexit quam te, quem fama per orbem

Concelebrat uirtusque super quem sydera tollit."  
Nec mora, tres isti collecto milite pergunt,  
In medio Salomon dorso supereminet alto  
120 Compositus mulae, magna glomerante caterua.  
Aequora permensi celeri siluestria cursu,  
Ad Gyonis leni labentes agmine lymphas  
Perueniunt. Salomon pecoris frenauit equini  
Gressum desiliens circumque stetero manipuli,  
125 Sanctaque Sadochus sumens unguenta sacerdos,  
SALOMON REX Bersaba genitrice satum Salomona perunxit.  
Ille magis gratum spirauit inunctus odorem  
Sacra unctio Quam succi, quos iactat Arabs Babylonque superba  
Assyriumque solum. Non sic opobalsama fragrant,  
130 Non nardus, non myrrha simul, non thura Sabeis  
Lecta iugis. Etenim superant diapasmata sacra  
Vnguenti genus omne suo dulcore prophani.  
Sacrato Salomone cauae clangore canoro  
Intonuere tubae, psalmos cecinere Leuitae  
135 Belligerique uiri laetas ad sydera uoces  
Iactarunt pariter: "Salomon regnator in omnes  
Aspirante deo uiuat feliciter annos!"  
Ille hinc principibus Solymas comitatus abibat,  
Omnis post illum populi pia cantica coetus  
140 Vocibus elatis aedunt et cymbala pulsant.  
Pars bifores calamos buccis spirantibus inflant  
Et pars fila lyrae plectro radente cientes  
In uarios rumpunt sonitus, uulgaria turba  
Verbere multiplici Berecinthia tympana tundunt.  
145 Hinc reboant siluae, colles clamore resultant  
Et rupes egressa cauas simul assonat eccho.  
Vrbana intrarunt cum tali tecta triumpho.  
Sensit Adonias, cuncti sensere tumultum  
Conuiuiae. Fuerant lecti mensaeque remotae.  
150 Inde Ioabus ait: "Quorsum nunc clamor in urbe  
Ille uirum clangorque tubae? Quidnam ista requirit  
Laetitiae species?" Nec adhuc cessauerat ipse  
Velle loqui, nunc hoc, nunc illud mente uolutans,  
Ecce Ionathanus, sacri puer Abiathari,  
155 A Solymis ueniens illuc accessit, et ipsi  
Adonias Dixit Adonias: "Huc adsis, sancte Leuita,  
Nuncius esto boni, felicitis et omine sortis  
Consolare tuos, quando fortuna secundo  
Successu mea uota fouet." Respondit at ille:  
160 Ionathan "Fallit, Adonia, tua te spes, optime, fallit,  
Aduersa est fortuna tibi. Salomona locauit  
In solio Dauid. Sadochus quippe sacerdos  
Et Nathanus eum uates ad Gyona ductum

Vnguine sacrarunt sancto regemque uocarunt  
165 Ingressique urbem solio statuere paterno.  
Laetitia incessit populos. Peruenit ad aures,  
Credo, etiam uestras sonitus clangorque tubarum  
Atque hominum clamor. Primatum coetus adorat  
Innixum sceptro. Gaudens post talia grates  
170 Daud agit superum regi, pro munere magno  
Accipiens, hodie quod uiuens uiderit illum  
In sedem sedisse suam regisque tulisse  
Insigne et populi plausum meruisse fauentis."  
Haec illo dicente palam conterrita mens est  
175 Cunctorum gelidusque pauor praecordia pressit.  
Auertunt sese taciti diuersa petentes  
Effugia, ut tutum iam tum sibi quisque putabat.  
**Comparatio** Non secus atque acies, quum bello fracta refugit,  
Spargit se campo: proiectis ocuis armis  
180 Praecipites currunt, illi montana capessunt,  
Hi latebras siluae, compendia nota uiarum  
Arripiunt alii, breuior qua cursus ad arcem,  
Tutior aut callis pateat. Sic omnibus istis  
Contigit, et quem laeta modo ad conuiuia regem  
185 Vnanimis fecere sibi, pulsante relinquunt  
Corda metu, obliti fidei iurisque sacrati.  
**Adonias** Solus Adonias, quo se conuertat, ab omni  
Iam spe depositus, nescit pactoque suorum  
Deceptus pariter. Tandem tentoria sacra  
190 Irruit et cornu stantis complectitur arae.  
Illic ille quidem iam tali tutus asylo  
Exposcit ueniam. Quanto nunc tutius esse  
Confugium debent nobis iam sanguine Christi  
Templa sacrata pio, pecudum si sparsa cruore  
195 **Confugium ad ecclesiam** Tutata est hominem manifesti criminis ara?  
Non quod praestari debet fauor ullus iniquis,  
Sed quod multa locis danda est reuerentia sacris,  
Nec uiolenta manus templis adhibenda dicatis,  
Sponte repurgando sceleri, non caede luendo.  
200 Nuncius ad regem sic est Salomona locutus:  
**Adonias poscit ueniam** "Fugit Adonias arcae ad tentoria sacrae  
Atque altare tenens ueniam uitamque precatur  
Et rogat, ut regni crimen dignere cupiti  
Condonare sibi, si te simul ulla cupido  
205 Regnandi tenuit, quum nondum sceptra teneres."  
Respondit Salomon: "Si post haec nulla dolosae  
Crimina molitur mentis, promittimus illi  
Omnia tuta quidem; uiuat formidinis expers  
Securusque mali. Sin quicquam fecerit ultra  
210 Supplicio dignum, referet pro crimine poenam."

Promissis istis fidens arasque relinuens,  
Venit Adonias et fratrem frater adorat.  
Pro uenia grates egit, seruire paratum  
Sese illi dixit, cui fata sedere dedissent  
215 Regali in solio et populo dare iura uolenti.  
Ast illi Salomon "Rebus praestare necesse est,  
Quod spondes uerbis." inquit "si praemia ferre  
Pro meritis cupias dignosque acquirere honores."  
*Vesper* His dictis Agita natus, iam sole cadente Consuetasque uices  
fuscis caedente tenebris,  
220 Rege salutato sua se sub tecta recaepit.  
*Dauis de Christo uaticinia* Daud uicinus fini mortique propinquus,  
Terrenae fecis iam expers liberque futurus,  
Caelesti magis atque magis fulgere fauore  
Coepit diuinumque piis componere carmen  
225 Vocibus aggressus, psalmos cantauit et hymnos.  
Et uentura nouae prospectans tempora legis,  
Omnia de Christo praedixit in orbe futura:  
*Christi mysteria* Vt caelo genitus, terra generandus in ista  
Virgineo partu, genitor foret ipse salutis  
230 Humanae, Hebreos inter uicturus, at ipsis  
Ignotus, plebi noscendus uana colenti  
Falsorum simulachra deum, quibus omnibus ultro  
Abiectis, ad pura sui baptismata Christi  
Concurrent pariter dominumque deumque uocabunt,  
235 Quem stabulo genitum nudumque et rebus egenum  
Eoi proceres thus, myrrham aurumque ferentes  
Ore colent prono delataque munera tradent.  
Cuius in aduentu leges ritusque uetusti  
Obliterari habeant, luci caedentibus umbris  
240 Expediet surdis aures, uestigia claudis,  
Donabit caecis uisum mutisque loquellam  
Et solo lepram uerbo morbosque repellat.  
Quodque magis mirum fiet, iam morte solutis  
Restituet uitam rursumque animata resurgent  
245 Corpora, diuinis hominis testantia uires.  
At neque tam miris gens impia credula gestis,  
Inuidiae stimulis agitata, insurget in illum.  
Criminis insontem damnabit, uincula collo  
Iniiciet sacro, conuitia congeret illi  
250 Et sputa et colaphos nudataque membra flagellis  
Pertundet spinisque caput compunget acutis  
Affixumque cruci suspendet, pocula felis  
Faucibus apponet sitientis, cuspide pectus  
Transadiget dominumque pium per saeua peremptum  
255 Supplicia angusto condent claudentque sepulchro.  
Sed pro multorum qui talem ferre salute



Adueniet mortem, postquam monstrabit in istis  
Esse hominem uerum sese, testabitur inde  
Esse deum uerum: clauso qui nempe sepulchro  
260 Exhibit uiuus, uiuum lux tertia cernet  
Ostendetque suis. Ipsos solatus abibit,  
Angelico comitante choro, laetantibus astris,  
Ad cunctis repleta bonis caelestia regna  
Sydereamque domum, lucis loca clara perennis.  
265 Inde iterum ueniet, circumdatus agmine multo  
Spirituum coetuque patrum uatumque piorum.  
Quos quoque discipulos sibi legerat ipse magister  
Et quos poenarum fecit patientia regno  
Aethero dignos et qui, sua iussa secuti,  
270 Inter sanctorum meruerunt agmina poni.  
Omnes circa illum stabunt infraque supraque,  
In dextrum leuumque latus cum lumine multo.  
Ille super niuea sublimis nube sedebit,  
Maiestate potens, patria uirtute uerendus,  
275 Numine conspicuus, terrarum ut iudicet orbem.  
Completo arbitrio iustos ad sydera ducet,  
Iniustum prauumque genus sub Tartara mittet.  
Talia diuino cantauit carmine Dauid  
Inque suis psalmis nobis cantanda reliquit.  
280 Illic perlegitur quicquid uenisse fatemur,  
Quicquid uenturum postremo creditur aeuo,  
Tam certo euentu, sanctis ut et ipse prophetis  
Asscribi mereat, trino iam dignus honore:  
Dauid bellator, rex, propheta Belliger inuictus, regum rex optimus, idem  
285 Veridicus uates. — Postquam sentire supremum  
Coepit adesse diem membrisque incumbere mortem  
Affectis senio, Salomoni sancta uocato  
Sic orsus mandata dabat uerbisque docebat:  
"Natorum Salomon charissime nate meorum  
290 Ultimus ecce meae consumpto tempore uitae  
Iste dies agitur neque me decedere fas est,  
Si non ante tibi iam nostra in sede locato  
Expeditiam monitus, quos serues. Accipe tandem  
Quae nunc praecipio et memori tibi mente teneto!  
295 Dat praecepta Salomoni Iussa dei primum tibi cuncta capessere  
curae  
Sit uolo, diuinae legi parere memento.  
Consulere hanc studeas, fuerint seu sacra ferenda  
Grata deo, fuerint dubiae seu iurgia litis  
Arbitrio tollenda tuo. Committere noli,  
300 Committi quod iure nequit nec legibus aequis.  
Promissis confide dei, nil uerius unquam  
Esse putes illo, quod sancti numinis ore

Noueris emissum. Si sic moderabere uitae  
Ipse tuae sicque ipse tuos componere mores  
305 Contendes, promissa deus rata stare iubebit,  
Quae tribuit dicens: 'Si recto tramite uitae  
Ire tuos natos uerumque fouere iuuabit  
Tota animi et mentis uirtute, paterna dabuntur  
Sceptra illis generique tuo prolique tuorum  
310 Perpetuo gaudere throno concessa potestas,  
Dauid, erit.' Conare igitur, nequando querantur,  
Mi Salomon, nostri de conditione nepotes  
In te finita, si talia foedera franges  
Et pia scita dei uitio dominante repelles.  
315 Ergo memor legis cura punire nocentes  
Et seruare pios. Causas examine iusto  
Ioab Perpendas semper. Facinus crudele Ioabi  
Nosti, credo, satis, fuerit quam perfidus ille  
Israhelitanae geminis ductoribus alae:  
320 Alloquio miti et uultu simulante fidelem  
Ambobus nutum decaeptos perdidit ictu  
Mucronis duri, qui tunc sub ueste latebat.  
Hinc uelut ille ducum tranquilla in pace cruorem  
Fundere non timuit, sic idem sanguine poenas  
325 Fac luat atque imas Herebi descendat ad umbras.  
Semeus Est etiam Semeus, Geminina stirpe superbus,  
Qui me sacrilego laesit temerarius ore,  
Probra uomens, maledicta tonans, conuitia fundens,  
Quando iter arripui Castrorum moenia uersus.  
330 Talia dimittas, quoniam Iordanis ad amnem  
Occurrit supplex nobis ueniamque precanti  
Ignoui crimen. Sed quid, rogo, moribus istis  
Ignouisse iuuat? Freno compesce pauoris  
Dissidiis assuetum animum turbasque cientem.  
335 Imperio parere tuo si desinet, illum  
Dede neci, multos male ne contaminet unus.  
At bene de nobis meritis est gratia multa  
nota Persoluenda fide. Quum sit culpabile cunctis  
Accepti ex aliis memorem non esse fauoris,  
340 Tum dominis id turpe magis foedumque putatur.  
Nam qui plura queunt, debent quoque plura referre  
Multo quam accipiunt. Natos tibi Berzelai  
Nunc Galladitis commendo. Semper in aula  
Fac illos habitare tua mensamque sedere  
345 Ante tuam semper. Socii comitesque fuere  
Hi mihi, quum fugerem Absalonis tela furentis,  
Fratris tela tui. Magno se offerre periculo  
Sunt ausi mecumque fide mansere perenni.  
Praeterea terrae dominator et aetheris alti

350 *Vt templum condat* Te sibi condendi lato fundamine templi  
Deligit autorem. Tali te donat honore,  
Quum sis pacis amans, non me, quia bella gerendo  
Foedai humano pollutam sanguine dextram.  
Fac opus eximium, tanto fac numine dignum,  
355 Hic ubi parua sedet moles altaris in aruo  
Arreunae, dudum quod nostro est aere paratum.  
Ecce ego materiam summis de montibus omnis  
Collegi generis, cariem spernentia ligna:  
Aerias cedros, hebeni noua robora fuscii  
360 Fraxineasque trabes, ingentia marmora, multas  
Saxorum moles, auri argentique talenta  
Et ferri multos et multos aeris aceruos  
Fusaque de uario quam plurima uasa metallo.  
Illa sacrare deo facies temploque peracto  
365 Atque adytis templi diuinam protinus arcam  
Induces, populi circumplaudente corona  
Et caua linigeris infantibus aera ministris.  
Ipsam conueniet sanctis portare Leuitis,  
Sacra nefas aliis contingere. Diuidat ordo  
370 Officia in cunctos: alii pia dogmata legum  
Expediant, alii diuinis carmine laudes  
Cantent, hi foribus praesint, custodia gazae  
Vasorumque illis detur. Solertia tali  
Cuncta gubernentur te praeside, nullus in aede  
375 *Vt locus errori reliquus sit, nullus in urbe.*  
Sis felix, tua regna deus sublimet, ab armis  
Defendat, det pace frui, tibi proroget aeuum,  
Mittat et ex alto diuinae lumina mentis  
Sinceramque fidem, firmam stabilemque bonorum  
380 Spem promissorum, feruentem semper amorem  
Religione sui, ut legem praeceptaque serues,  
Quae patribus Mosyque dedit; seruantibus ampla  
Accedet merces, transgressis poena parata est."  
Inde deo sese commendans atque supino  
385 *Dauid obiit* Spectans ore polum, languentia<sup>1)</sup> membra tetendit  
Per thalami stratum tacitaque in morte quieuit.  
Regia magnifico celebrarunt funera luxu,  
Cum moerore graui plebis luctuque suorum.  
*Arx Syon ubi sepultus Dauid* Arx erat alta iugo montis fabricata Syonis  
390 Illius munita manu laudique dicata,  
Vrbis praesidium Solymae: tunc cassa calore  
Ossa suo et propriis exutos sensibus artus  
Traiiciunt illo, liquidis et odoribus unctos  
Depositosque nouo tandem texere sepulchro.  
395 *Regnauit annos XL* Lustra decem lustris regnans minus ille  
duobus,

Hebronae septem sceptrum gestauerat annos,  
Tres et triginta sanctam translatus in urbem,  
Vrbem praecipuae longinqua per oppida famae,  
Sed mage Daudis celebratam nomine regis.  
400 **Conclusio operis** Hic operis longo deducti syrmate finis,  
Hic suspensa tholo sileat lyra. Diximus ecce  
Quicquid bella gerens et quicquid pace quiescens  
Egit Iesseides, quam fortis saeua ferendo  
Extitit et mitis fato meliore fruendo,  
405 Quam cito commissum doluit scelus, impia passus  
Iurgia quam facilis dimittere tota roganti  
Saepe fuit quantaque deum pietate colebat.  
Talia facta uiri nullus decerpere liuor  
Nullaque saeculorum poterit delere uetustas.  
410 Stabunt, Sole dies donec ueniente nitebit,  
Donec terra parens cum frugibus efferet herbas,  
Aera dum uolucres percurrent, aequora pisces.  
Virtutum meritis nunc felix ille suarum,  
Pro fragili regno stabili dominatur in aula  
415 Conspiciuus consorsque sui super aethera Christi.  
Haec mihi cantanti non doctus fauit Apollo,  
Non Helicon, non turba nouem celebrata sororum,  
Sed sacer aetheria delapsus spiritus arce  
Impleuit nostram diuino lumine mentem  
420 Et uersu memorare dedit non ficta poetum  
Prodigia aut uarias hominum diuumque figuras,  
Sed quae nostra fides scriptis testata uetustis  
Hausit et arguto conata est promere cantu.  
Illi ego Spiritui pro tali munere grates  
425 Semper agam sanctaque simul delatus ab aura  
Littus ad optatum subducta puppe quiescam.

## FINIS

---

<sup>1)</sup> (laquentia Gt)